9. 4. 84.



# ANNALES
## HISTORICO-CRITICI
# ECCLESIÆ
# SICULÆ

AUCTORE

ADM. REV. P. MAGISTRO

FR. THOMA DE ANGELO

MESSANENSI

Ordinis Prædicatorum.

## OPUS POSTHUMUM.

*Quinque Priora Christi Sæcula continens;*
*Cui rerum Index accessit.*





MESSANÆ Anno MDCCXXX.

Typis Reg. Hæredum de Amico.

*Superiorum permissu.*

VERITATI,

CUI ENIXE AUCTOR ASPIRABAT,

OPUS VOLUIT DICATUM:

HINC EDITOR LUBENS EX VOTO

SACRAT.

Admodum Reverendus S. T. D. D. Horatius la Sala Parochus S. Laurentii hujus Urbis, & Examinator Synodalis,& admodum Reverendus P. Jacobus Cardia Societatis Jesu huius Prototypi Messanensis Collegii meritissimus studiorum Præfectus,& Nostræ Magnæ Curiæ Archiepiscopalis Synodalis Examinator videant, & in scriptis referant.

Castello V. G. S. V.

*Historiam Ecclesiasticam Regni Siciliæ criticis dissertationibus refertam, priora quinque Sæcula complectentem,à Sapientissimo Magistro Thoma de Angelo Ordinis Prædicatorum Siculo Messanensi solidè elaboratam, omnique eruditione contextam, mandato Rmi Dñi V. G., attentè perlegi, & meo quidem judicio Author oculatissimus ita cuncta summo studio, parique ingenio discutit, nec minori prudentia ab incertis modò certa, modò verosimilia ita secernit, ut omnem justæ reprehensioni adimat locum; quinimmò clarissimum Ecclesiæ Siculæ lumen à primis luminaribus,ab ipsis videlicet Apostolis derivatum, sed temporum injuria sub inscitiæ modio clausum, errorumque tenebris circumfusum, ut iterum super candelabrum longè, latèque nitesceret, perdoctis lucubrationibus effecit.* Nostram *Protometropolitanam Ecclesiam adhuc à suis exordiis, nec alteri secundam observavit, unà cum aliis Scriptoribus ante alias Trinacriæ Ecclesias singulari prærogativæ titulo inauguratam agnovit, cum nimirum in Ecclesiastica Politia divisio Provinciarum, diversorumque inter Præsules graduum Jure, factoque institui cœpit. Utinam Autor ipse diutiùs vixisset, atque Ecclesiasticam Siciliæ Historiam ad proximiora nobis usque tempora perduxisset! Haberemus utique Messanensis Ecclesiæ decus omne luculentiùs illustratum. Idipsum oculari tamquam ex documento conjicere*

*licet*

*licet ex iis, quæ Primo Sæculo de Messanensis Ecclesiæ primordiis legenda nobis exhibet, & ibi præcipuè, ubi Sacra in Epistola B. Virginis ad Messanenses Urbis Nostræ, ac Regni totius gloriam, & munimen rationibus firmat validissimis, & putida Pseudocriticorum argumenta, solidis, pro similium Traditionum veritate, Criticorum regulis fortiter diffracta radicitùs evellit. De præcoci ergo Authoris morte maximè dolendum, quia hæc nobis præripuit, quod ille gaudium cumulasset. Hinc, cum adversùs sanam doctrinam, bonosque mores nil redoleat; Perillustris Mecenas non immeritò, ut Typis mandetur, enixè curavit; suisque doctissimis lucubrationibus, & exoptatum operi huic supplementum, & laudis incrementum tam sibi, quàm Authori uberrimum præstabit. Quapropter publica luce dignissimum censeo, si ita videbitur Rmo Dño Meo Vicario Generali Sede Vacante.*

*Datum Messanæ in Ædibus Parochialis Ecclesiæ S. Laurentii pridie Kalendas Septembris anni 1730. S.C.P., & S.T.D.*

*D. Horatius la Sala Parochus, & Examinator Synodalis.*

R*Everendissimi Dñi mandatis obsequens attentè perlegi opus inscriptum* Annales Historico-Critici Ecclesiæ Siculæ, *nec quidquam in eo fidei Orthodoxæ, bonisque moribus dissonum reperi. Totius operis moles, eruditionis copia, stylus æquè argutus, ac nitidus eò tendere mihi visa sunt, ut Ecclesiæ Siculæ proprium revocent decus, ejusq; Historiæ nativum veritatis candorem restituant, quem duobus ab hinc Sæculis Scriptores partium studiis abrepti nō parùm denigrarāt. Hoc ipso in opere pervetusta Ecclesiasticæ Historiæ monumenta æqua lance perpendi, singula unicuique peculiari Ecclesiæ, quæ sua sunt tribui, nullique subtrahi quod jura historica illi adjudicant cordatus quisque deprehendet: ideoq; novum hoc veteris historiæ documentum typis evulgari posse censeo, eò vel maximè, quod Vir Sapientissimus publica luce dignum ita cen-*

*censuit, ut autographum, simulq; Auctoris vita functi nomen prelo imprimi, atq; utrumq; ab interitu vindicare satagat; nimirum posthumo velut in filio superstite Patris immaturè sublati, & dolorem lenire, & desiderium utcumq; supplere Mæcenas Praclarissimus meditatur; Isthæc ergo historica disceptatio luculenta tamquam Idea quinq; de Christi Sæculis exhibita erudito cuilibet præluceat, qui pari calamo perstringat, quæ de posterioribus discutienda supersunt. Præconceptum ego meum hoc judicium propria subscriptione firmavi in Collegio Messanensi primario.* 8. *Kalendas Septembris anno Domini* 1730.

*Jacobus Cardia Societatis Jesu Studiorum Præfectus, &* Examinator *Synodalis.*

*Stantibus suprascriptis relationibus Imprimatur.*
Castello V. G. S. V.

AD-

Admodum Reverendus S. T. & Eruditionum Professor D. Carolus Vitali videat, & in scriptis referat.

Prescimone C. R. J. pro Ill. de Drago P.

*Spectabilis Domine.*

P*Ræclarum hoc Opus, cui titulus,* Annales Historico-Critici Ecclesiæ Siculę, *quanta debui diligentia legi, & expendi; neque in eo quidquam, quod Principibus, aut Pragmaticis Regni legibus adversetur, inveni. Cæterùm, si de merito Libri sententiam animi mei aperire fas est, tanta in eo, ac tam profunda doctrina, tanta non tam Sacra, quàm profana eruditio, tanta aptè, eleganterque scribendi, & acutè disserendi facultas excellet, ut Literatis Nostratibus Ecclesiasticam Siciliæ Historiam omni voto expetentibus satis prcvisũ existimẽ. Non enim dubito, quin succedat pręstantissimus Vir aliquis, qui præsenti bene ceptæ Historiæ gloria, & laude permotus ipsi supplementum numeris omnibus absolvendum jamnunc excogitet, debitumque Coronidis, immaturo Auctoris obitu interceptæ, feliciter exequatur. Quod dum Auspice Deo O. M. quàm citissimè eveniat precor, uti auguror, præsens saltem pro prioribus quidem Sæculis jam perfectum Typis dignissimum censeo. Ita sentiebam*

*Dominationis Tuæ Spectabilis*

*Messanæ 15. Kalend. Januarii 1727.*

*Humillimus, atq; Obsequentissimus Famulus*
*Carolus Vitalis.*

*Stante suprascripta approbatione, Imprimatur*
Prescimone C. R. J. pro Ill. de Drago Pr.

*EDI-*

## EDITOR LECTORI.

*Rev. P. Mag. Thomæ de Angelo Meſſanenſis Ord. Prædic. Vita, & Judicium de ſua hiſtoria Sacro-Critica Siciliæ.*

Auctoris vitam libare placuit. Lucem vidit Meſſanæ, anno 1668. menſe Auguſti, quem moribus, & animi dotibus ferè Angelum dixeris: Emenſis ſtudiorum curriculis per omnia ſui Ordinis munia uſque ad Provincialatus apicem evectus; tandem Meſſanæ, anno 1720. menſe Februario, diem clauſit extremum. Plura tum bonę Philoſophiæ, cùm Theologiæ Scholaſticæ, ac Dogmaticæ ad ſalivam uſque docuit; Matheſi ad animi jucunditatē, mentiſq; delitias per otia addictus: (hujuſmodi ſcripta in ſcriniis deliteſcunt) Hinc tot tantiſque ſcientiis clarus Romam vocatus, incertum an à magiſtrali laurea plus honoris acceperit, quàm ei reddiderit. Utinam quæ ſcripſit, lucem viderent. O quantùm Sapientum Reſpublica exultaret! Si ad hiſtoriam mentem vertis, ejus jacturam deflet Sicilia, interciſo filo penè adumbrato; extemporaneè quinque Sæcula ſcripſit, quæ ne dum plena manu expleverat. Tanto labore potiri Sicilia debebat, dum haud fuerat à quoquam ex integro tentatum: ſine ira, vel amore, quorum cauſas procul habuit, rem poſteris tradidit. Utinam cunctos Annales perfeciſſet. Veritatem, præjudiciis ejectis, ſedulò conquiſivit. Quidquid naſuti dicant, ſi ad eorum palatum non ſcripſit; cuique ſua tribuit, aliena nec rapuit, nec deturpavit, niſi veritate urgente. Sanctè omnibus omnia, traditione ſervatâ, reliquit; rebus in obſcuris ejus judicia ſana, libera, ſaleque aſperſa. Aſt ubi firmiora defuere argumenta in ſub-



ſidium

ſidium traditionis portum quęſivit ; quam cuilibet Eccleſiæ ultro conceſſit . Stylus conciſus , ſed non obſcurus ; placuit ergo , qualecumque hocce Opus remanſit , quaſi in mentis ſpecimen , typis tradere , ut ex ungue leonem judicet lector. Veniet , & ſtat ad fores,qui reliqua Sæcula,pari labore,ſi non ſtylo explebit , Siciliamq; beabit.Interim hiſce fruere, & vale.

IN

# INDEX

## PARAGRAPHORUM, ET DISSERTATIONUM.



### SÆCULO I.



### SÆCULO II.



### SÆCULO III.



SÆ-

## SÆCULO IV.



## SÆCULO V.



PRÆ

# *PRÆFATIO AD ANNALES SACROS REGNI SICILIÆ.*

*ECclesia Sicula, minima gregis Christi portio est; cujus tamen Historiam maximo sine labore nemo scribat. Utinam quas prisca ætas tenebras offudit, pauciores Siculorum lucubrationes excussissent! ferro, & silice tandem recentiores Critici, quibus scintillæ pro pleno meridie sunt, eò dispellerent, quò sæculorum caliginem pes percurreret inoffensus. At postquam pestilens illud sydus Siculorum ingenia afflavit, ut vel etiam partium studiis præventi, aut conductitii scripturirent; quis ultra veram ab ementita luce discernat? quis hic Cymmerios Historiæ recessus illustratos, ibi claris olim rebus novam obscuritatem Scriptorum pessima fide non injectam sine labore dijudicet? Per quindecim priora Christi sæcula rari quidem inter Siculos, qui sua ex instituto pertractarent, sed synceri: Sextodecimo autem inclinante cœpere quidam latiùs, sed frigidiusculè scribere, non quæ veritas, sed præjudicatus sensus obiiceret. Unius loci præ alio quisquilias inflare; alterius excelsa, silentii nube superinducta, minuere; aut glacialibus verbulis adeò deprimere, ut pro munere silentium suspirassent. Sub prima verò decimiseptimi luce, deposita larva.* (1) Plures exertè, & palam, machæra, & non stylo usi sunt; & ad materiam suam cædem scripturarum confecerunt. *Tunc loci cujusvis in clientelam suscepti initia, ferè ante orbem conditum protracta; & si authores in suffragium desint, Gigantum ossibus, quæ plures credant, nemo viderit, in auxilium invocatis suffulta, & lapidibus Deucalionæo tempore inscriptis. Si qui in Insula, aut fortassis per Orbem, insignes Viri, vellent, nollent, ad lares vocati, & calamo obstetricante renasci coacti, ubi nasci natura negaverat. Si Festa, Popularis sæpè ritus, enarranda, id mutuatis à Livio, & Cæsare phrasibus, quas parcè in Romanorum triumphis collaudandis adhibuere,*

 *pro-*

(1) Tertullianus.

*profusa manu præstitum. Si ædificia*, (1) Barbara Pyramidum sileat miracula Memphis. *Bis utinam suos laudare contenti, & primos voluisse, non unos! Cætera, de quibus æmulandi suspicio, loca; calida adhuc manu condita, & hesternum diem non sub ortu salutavere. Privilegia, si glorientur, apocrypha. Facinora: puerorum crepundia, & lusus. Unum denique: Demasti illius latronis more,* (2) *qui se statura longiores decurtatis cruribus ad æquam sui mensuram conformabat, breviores tractoriis machinis distendebat: Authorum dicta, & factorum seriem, suam revocant ad amussim.*

*Exterus scriptor, emunctæ quantumvis naris, quibus, nisi domesticis, credat? Cuivis ex Siciliæ Urbibus, inceranda Divorum genua, ut Patronus author in scribentis manum incidat: illi væ, cui palæstritam Numina obtulerint non propitia. Mox quippe qui ex Sicilia scripserit, prolixo ordine alienigenas recensebit, qui presso, vel verso pollice causæ suffragantur, homines nullius præjudicii suspectos. Oportuerat sanè, ut nec genticus author, unde exscripsit, fucum fecerit, & innoxium traxerit in ruinam.*

*Non hæc ego præfatus, ut Siculos, uno, vel altero ab hinc Sæculo, scriptores in crimen vocem, aut Exteros facessere jubeam; cum & illi in tabulariis pervestigandis curiosi plura eruerint, quæ ad salivam; & istos inter optimi quidam criterii, qui triticum in area norunt, & paleam: Sed ne cuiquam asper, aut cavillosus appaream, qui sextidecimi, & subsequentis Sæculi scriptores exagitem, sive genticos, sive extraneos; cautè legam, perpendam, expendam; & nonnisi in traditionis subsidium sæpè excipiam.*

(1) Martial. (2) Ap. Plutarc.

# PROLEGOMENUM

## *De Ethnica ante Christum Siculorum Religione.*

1 DEI legem, mox à salute, prævaricata Nohemi posteritas à veri Numinis cultu desiliit; non adeò tamen emotæ menti peccatum illusit, nec tam longè à sede sua pulsa ratio, quin notitiam qualemcumque Dei retineret, in quem averso saltem itinere, cæcisque vestigiis iret. Hęc nascentis idololatriæ exordia, quæ ad Mundum usque plenè Christo subactum obtinuit; & infando cœlitum populo focos fatigavit, & aras. Alios Gentium Deos recensuit (1) Plutarchus, Naturales; Astra, Elementa: unde *fragilis, & laboriosa mortalitas* (2) Plinius ait, *in partes ista digessit, infirmitatis suæ memor, ut portionibus coleret quisque, quo maximè indigeret*. Patrios alios, & Populares, prout benemerentibus gratitudo, aut diversarum nationum contubernium intrusisset, & unaquęque prophanę novitatis cupida amplecti averet. Alios denique Poeticos, quos veræ lucis fugitiva superstitio tenebricosis fabularum figmentis coacervatos involvit.

2 In Sicilia nulla quidem ante Cyclopes, exlegem gentem, si qui fuere, superstitiosi cultus superstes memoria. (3) Ab inde & Naturales legimus, lucos nempe & fluvios in Numina deformatos; & Patrios, qui in Divorum Collegio cooptati; fabulis denique suis, quas à Poetis meruit, Apotheosim conciliavit. His alienigenarum Sacra, Deosque superinduxit, Ethnicà principantiũ Sicanorum, Phœnicum, Gręcorum, Carthaginensium, Romanorum societate polluta; ad quos (4) vicissim indigenas suos cortivavit; & Romanis Erycinam Venerem, ac Cererem colendam dedit, Proserpinam filiam cum parente Pœnis &c. Iis ergo singillatim enumeratis Ecclesiasticæ Historiæ proludendum duxi, quos designatæ quædam Siciliæ Urbes, aut loca prolixè supra cæteros coluere, sive primo excitato cultu, sive insignioribus phanis erectis, aut speciali nota dignis celebritatibus institutis. Nec abs re, cùm & quandoque vero Numini faciliùs invocando superstitio impia pietate præluserit; & superstitiosiores Athenienses desumpta è prophanis aris occasione Paulus converterit ad Evangelium.

5 Generatim Siculi Cereri Sito, (5) Cereri Simalidi Sacra fecere, & indito à gente vocabulo, Ennensi, Catanensi, Syracusiæ. Hanc Magnæ Matris vocabulo insignire placuit. Ipsius Religionem, & Proserpinæ filiæ cum lacte hausisse testatur Cicero: (6) *Vetus est hæc opinio, quæ constat ex antiquissimis Græcorum Litteris atque monumentis; Insulam Siciliam totam esse Cereri, & Liberæ consecratam. Hoc cùm cæteræ gentes sic arbitrantur, tùm ipsis Siculis tam persuasum est, ut animis eorum insitum, atq; innatum esse videatur. Nam & natas esse has in his locis Deas, & fruges in ea terra primùm repertas arbitrantur, & raptam esse Liberam, quam*

A 2

(1) *De placit. Philosoph.* (2) *lib. 2. c. 7.* (3) *Silius lib. 14.* (4) *Pausan. in Arcadic. Viv. lib. 22. & 23. Valer. Max. l. 1. c. 1. Diodor. l. 14.* (5) *Polemon.* (6) *In Ver. l. 4. act. 5. orat. 9.*

*quam eandem Proserpinam vocant.* Item, & Jovem Eleusineum.(1) Bacchum Morychum.(2) Aristæum.(3) Fortunam, Timoleonte Cerinthio authore. (4) Dianam Merusiam. Dianam Chitoneam, cujus festa harmonicis modulis, & desilientes celebrabant. (5) Dianam Lyen, aut malorum solutricem: [6] sive quia ea curante morbo Populari soluti, (7) sive in quadam seditione servati;(8) semper tamen Dœmone præstigiante. Huic festa Bucolica constituta risu, & cantu celebranda; & ex Theocrito [9] Canephoria, nubili quaecumque Virgine Dianę donarium in canistris deferēte. Ex hominibus Leucaspin, Pediocratem, Buphonam, Gaugatem, Cygæum, & Chrysidam, insignes Sicanorum Duces.(10) Aristæam præstigiis famosum.[11] Cæsares Claudium, Antoninum, Commodum &c., quorum memoriam antiqui lapides reddūt, quam servandam recepere. Nymphis quisque in propria domo cantu, & vigilia sacrificabat.[12] Iis sacrata vallis amœna, & lucus in mōtibus Heræis. Universim delubris vectigales agri, & Oppida censum pendebant, quo Flamines sibi necessaria compararent.

4 Præ singulis Ennenses adinvento Cereris cultu gloriosi, (13) quæ inter Gentium Divos primas obtinet. Ejus festa Thesmophoria Triptolemus induxit; (14) adeò tamen obscœna, ut adversùs sacrilegi ritus propudia Heraclides Syracusanus declamasse legatur. (15) Proserpinæ pariter cultui dediti; [16] sed Matri primo sationis tempore litatum; Liberæ filiæ per decendium maturis frugibus, [17] cū placentæ, & arborum fœtus ad ramos alligati exultāti Populo diripiendi tradebantur. Huic sacra circumfinitima Ennæ prata. Ejus festa Cotyttia magico ritu famosa. (18) Ipsa familiare Numen, quod juraturi invocarent. (19) Lacus adhuc Pergusa, in quo rapta à Plutone, inter Deos relatus.[20] Aras quoque Diis Inferis, & Subterraneis Ennenses posuere; (21) & promovente Gelone Bellonam adoptarunt. (22)

5 Catanenses, qui Cerere tanquam sua frui Ennenses ægrè ferunt, Deos Palicos habuere; duos nempe crateres subsilientes ad Symæthi fluminis fontes: (23) his novas vestes induti sacrificia offerebant, & ab impuritate immunes; [24] humanas victimas immolasse Sositheus (25) memorat, donec crudelem ritum ab Italia universa Hercules exulare jussit. (26) In eorum delubro Oraculum celebre, (27) & jurisjurandi experimentum; quippe inscriptæ juramento tabellæ, si in aquis subsilientibus mergerentur, pejeratum testabantur; supernatantes Sacramentum servasse. (28) Vulcanum insuper Ætnæum, cu-

(1) *Hesychius.* (2) *Xenodot.ap.Athenæ.* [3] *Diodor.l.4.* (4) *Plutarch. in Timoleon.* (5) *Athenæus.* (6) *Diomed.* [7] *Rhodigin.l.13.c.34.* (8) *Scalig. l.1.c.4.* (9) *Eidyl.* [10] *Diodor.l.4.* (11) *Apollon.Hist.mirab.* (12) *Timæ.ap.Athenæ.l.6.* [13] *Valer.Max.l.1.c.1.Mela l.2.c.7.* (14) *Lactant.in l. 2. Thebaid.Stat.* [15] *ap.Athenæ.l.10.* (16) *Cic.in Ver.l.6.* (17) *Diodor.l.5.* (18) *Horat.Epod.Od.18. Plutarc.lib.Collectan. Erasm.in adag.* (19) *Aristophan.in sac. Cer. Plutarc.in Bion.Theocr.Eidyl.15.* (20) *Jul.Firmic.& Claudian.* (21) *Viv.l.24.* (22) *Diodor.* (23) *Diodor.l.11.* (24) *Polemon.de mirab.Sicil.flum. ap.Macrob.l.5.* [25] *lib.3.rer.Sicular.ap.Plutar.* (26) *Dionys. Halic.l.1.* (27) *Macrob.ib.5.c.19.ex Xenagor.l.3.* (28) *Aristot.& Stephan.*

cujus Templum superstitioso ritu curandi pecudis celebre spissa conditum sylva religionem augebat; ibi æternus ignis, ibi canum custodia, qui castis blandirentur, labe venerea pollutos dilacerarent, inferis ipsis luxuriam horrentibus; quorum Sacerdos in Vulcanalibus festis incestos publico præconio facessere præcipiebat [1]. Ætnæum quoque Jovem [2]. Galenum, & Galateam malaciæ Numina, & maria tranquillantes.(3) Acin item fluvium[4], & Amasenum, cæterosque, quos ab Ætnæ radicibus decurrentes Claudianus enumerat (5).

6 Nullus tamen laude dignior cultus, si civilis politiæ circo conclusissent, quàm piis fratribus exhibitus, Amphinomo, & Anapio, (6) qui ne Dardaniæ Ænæam suum Catana invideret, exundante Ætna seniorum parentum oneri succollarunt, quo citiùs insequentem per rivos ignem effugerent, meriti, ut, Deo Ethnicis ipsis pietatis præmia largiente, superveniens charo pondere gravatis ignis, repentè divisus, illæsos amplecteretur potius, quàm circumcingeret.

7 Id denique ad rem nostram memoratu dignum, quod ex Matthæo Salvagio (7), Carthagena refert (8) *Quondam in Catania idololatras in magna veneratione habuisse Virginem quamdam, Infantem propriis manibus bajulantem; qui interrogati, quare singulis annis Imaginem illam per publicas plateas circumducerent? respondisse testatur, id in honorem, & cultum cujusdam Virginis præstare; quæ Virgo manens peperit filium suum.* Ita Deus, qui dixit de tenebris lumen splendescere, cæcam Gentilitatem, objecto futuræ salutis monumento, sensim voluit veri luminis splendoribus assuescere.

8 Erycini Venerem Æneadem cum Anchise colebant (9). Venerem Erycinam, cujus templi Sacerdotes Fœminę ex voto prostitutæ, quo turpe lucrum Altaris cultui, & sacrificiis impenderent [10]. Numen hoc adeò Romanis sacrum, ut Senatus decreto decem & septem in Sicilia Civitates ipsi vectigales factæ tributum redderent: quin & Consules, ac Prætores, mox ac Insulam tetigissent, majestate deposita, Religionis lenocinio cum Sacerdotibus cõsueverant (11), rubore nullo sacrorum suorum propudiis dignitatem maculantes. Veneris festa magicæ superstitionis labe inquinata; Anagogica, & Catagogica (12), dies nempe profectorii statis anni temporibus decurrentes, cum Dœmonis præstigio Columbæ Veneri sacræ per novendium invisæ Libyam proficisci, & exinde regredi videbantur, errores suos plaudente populo.

9 Lilybætani è puteo proximæ specus Oracula hauriebant, in qua Sybillam diu vixisse, fama ferente, cognoverant; sive ea Cumana fuerit (13), quæ antrum inhabitarit; sive Erythræa, quam plures Siciliæ vindicant (14), tanquam indigenam.

10 Sy-

(1) *Gratius in Cynegetic.* [2] *Scholiast. Pind. in nem.* (3) *Acta S. Euplii.* (4) *Theocrit. Eidyl.* 1. (5) *De rapt. Proserp.* (6) *Pausan. in Phocens. Claudian.* (7) *p.* 2. *de Victo. & Verb. Dei.* [8] *p.* 1. *l.* 6. *hom.* 17. [9] *Dionys. Halicarn. l.* 1. *Virgil. lib.* 3. *&* 5. *Æneid.* (10) *Strab. lib.* 6. (11) *Diodor. lib.* 4. (12) *Athenæ lib.* 9. *Ælian. var. hist. lib.* 13. (13) *Solin. cap.* 8. *polyhist.* [14] *Vives in lib.* 18. *S. Aug. de Civ. Sobellic. lib.* 3. *Enn.* 2. *Zuinger. vol.* 5. *lib.* 4.

10 Syracusii, & protensam ad Pachynum oram incolentes desultorio quodam delectati superstitionis genere, Apollinem Daphnitidem, Pæanem, Temenitidem invocabant, & Libystinum, cui ob immissam in Libycum hostem contagem, se devotos putabant (1); & filiis suis ad rem divinam cultrum adhibebāt, puerorum carnificina in Religionem assumpta. Jovem item Olympium, Elæum, Ellanicum, Eleutherium, cujus munere excussum è cervice Tyrannorum jugum lætabantur: hinc simulacro excitato, cui thus adolerent, in annos singulos celebritate constituta Senatus convivam Populum 450. Taurorum edulio recreabat(2). Minervam Chalciæam (3); & huic Himera Oppidum, & prata circumjacentia dedicata. Dianam servatricem, Alphæam, Fascellitidem (4), in cujus Templi jaciendis fundamentis viva defossa Virgo ferebatur. Ipsi dicata Syracusia Insula, & festa per triduum compotationibus, & conviviis peracta. Hecaten (5). Æsculapium. Aristæum cum Patre Libero (6). Cererem Eleutho (7). Venerem Bæotidem, Eudoon, Callipygon (8). Herculem, cujus festa Heracleia commessationibus, & ebrietate solemnia[9]. Leucaspin Sicanorum Ducem, cum Diocle Legislatore (10). Arethusam, & in ejus famulatu recensitos à Claudiano fontes, Cyanem, Alpheum, Anapum, Temenitidem. (11) Mirum, quòd in prolixa hac dissidentium invicem Divorum turba adhuc Concordiæ aram posuerint.

11 Mamertini, & Peloridæ, Dianæ Facelinæ victimas immolabant, & Neptuno. Illi in ora Peloride [12], isti prope cuspidem, Orione instauratore Urbis impellente (13), excitata delubra. Olidum lacum in Peloro extitisse Solinus (14) refert, cujus in medio ara, ad quam eousque liceret accessus, quo circumfusa aqua nonnisi crura abluceret: audacibus, qui ultra progressi, artus continuò illi maiore arescebant. Herculi item Manticlo, cui à Manticle Messeniorum Duce nomen, & sacrorum origo. (15) Dioscuris, Jovi, Veneri.

12 Tauromenitani, Scamandro fluvio sacra fecere, Dianæ, Phalconi, & Lyssoni. Lyssonis simulacrum Draconis specie reverentiam pro horrore ingerebat, & ab eo oracula. Phalconi in annos singulos Ephebi tres immolati [16]. Sunt qui acta S. Pancratii, unde dira hæc Religio historicis nota, Anachronismi insimulent, (17) & eo suspecta habeant, quòd carnificinam illam per annos ante Pancratium 260. invaluisse testentur: cum enim Pancratius anno Christi ad summum 44. & Urbis Conditæ 794. in Siciliam venerit, oportuerat ab U. C. anno 534. morem feralem obtinuisse, cum Syracusanum Imperium apud Hieronem esset; quo tempore ex Sicu-

lis

[1] *Cic.in Verr.l.6.Thucyd.l.6.& 7.Sveton.in Tiber.c.* 74. (2) *Diodor.l.*11. [3] *Cicer.in Verr.l.6.* [4] *Prob.com.ad Bucol.Virgil.ap. Natal. Comit.l.5. Mithol.c.* 2.(5)*Scholiast.Lycophron.in Cassandr.*[6]*Cic.in Verr.l.6.*(7)*Hesych.*[8]*Clem.Alex.Ephort.ad Grat.Cercid.& Archel.apud Athen.*(9)*Thucyd. l.6.Scholiast.Pindar.in Od.*13.*Olympiar.*(10) *Diodor.l.*15.(11)*Nicen.l.*1. *de Flumin.Melanth.de sacris.Pausan.in Attic.Ælian.l.2.c.33.Plin. l.3.c.8. Diodor.l.*14. (12)*Vib.sequest.de flumin.*[13] *Diodor.l.5.*(14) *c.*11. *Polyhist.* [15] *Pausan.in Messen.*[16] *Acta S.Pancrat.*(17) *Cajet.in Isag. c.4.*

Jis hiſtoriis cruenta ſacrificia exoleviſſe colligimus; (1) adhuc quippe Gelone regnante legimus, Pœnis devictis ea lege pacem indulſiſſe, ut in poſterum ab immolandis Saturno filiis abſtinerent. Sed hæc ratio, niſi aliunde ſuffulta, non ſatis firma. Infandus enim Carthaginenſium ritus filios in victimas conſecrandi eò collineabat, ut ab hoſtibus victoriam propitiato Numine reportarent. Quid ſi Ethnicus, & æquè ſuperſtitioſus Gelonis miles litationem ſibi adverſam exhorreſceret, & pavori diſcutiendo id Gelo imperarit?

13 Segeſtani Æneæ conditori, velut Numini, addicti.(2) Philippo inſuper Butanidi, inſigni, ſi qui alius, viro. (3) Veneri Uraniæ. [4] Dianæ ſervatrici. Fluminibus Scamandro, Porpaci, Telmiſſo. (5)

14 Agrigentini Acragam fluvium, à quo nomen, [6] & Jovem Atabyrium, familiare Rhodiis colonis Numen, adorabant. (7) Minervam item. (8) Junonem Laciniam. (9) Æſculapium.(10) Concordiam, & Pudicitiam. (11) Therone Argivo promovente, [12] Dioſcuros; & Phalaride devovente, Steſichorũ Himerenſem Poetam. In proximo colle Vulcanio magica ſacra feciſſe Vulcano, narrat Solinus. (13)

15 In obſcurioris notæ locis: Mylenſibus Sacer Mylas fluvius, cujus ad oras depaſcentes Solis boves fabulatur Ovidius. Aſſorinis, flumen Chryſe.(14) Hyblæis, Apollo, cujus cultum, & oracula Galeus filius invexit.[15] Hadranenſibus, Hadranus. [16] Siciliotis, Voracitas. (17) Tyndaritanis, Dioſcuri, Diana Faſcellitis, & Mercurius adoleſcentiæ cuſtos. Selinuntibus, Jupiter Agæreus.[18] Naxiis, Apollo Archegeta. (19) Leontinis, Hercules. Engyenſibus, Deæ Matres, à quibus inſcio Saturno Jupiter in Creta Inſula enutritus:[20] hæ quidem à Cretenſibus colonis inductæ, ter millia boum vectigalia, & latifundia, quæ ad Templi magnificentiam excolendam ſufficerent, habuere. Gelois, Dii Inferi, & Subterranei, cultu magico. (21) Agyrenſibus, Hercules, Proſerpina, Geryon, & Jolaus, cui ludi Gymnici, & Equeſtres conſtituti, & anathema capillitium conſecratum, quod ſtudioſè ob id unum cives excolebant. (22) Haleſinis denique, & Alnntiis, Dii omnes, quorum feſta, Theoxenia.

16 Apud Panhormienſes demum ſolius Herculis in Urbica moneta monumentum ſuperſtat; & in lapide perantiquo præ foribus Ædis Prætorianæ, Nemeſis, quam Saturnum eſſe docet Cauſſinus(23). Templi, aut peculiaris cultus memoria nulla. Id fortè quia Olympiade circiter quinquageſima, ut Cluverius refert (24), humilibus, ut aſſolet, initiis, ex Oppido in celebrem Urbem Panhormus emerſerit; pro-

[1] *Plutarc. de iis qui serò à Num.pun.* (2) *Halicarnaſſ.l.1.* (3) *Herodot. l.5.* (4) *Theocrit.* [5] *Ælian. lib. 2. c. 33.* [6] *Ælian. lib. 2. c. 33.* (7) *Polyb. lib. 9.* [8] *Polyb. cit.* (9) *Plin. lib. 35. cap. 9.* (10) *Polyb. cit.* [11] *Fazel. dec. 1. lib. 6.* (12) *Interpr. Pindar. in Od. 3. Olympiar.* (13) *c. 2. Polyhiſt.* (14) *Cic. in Verr. lib. 6.* (15) *Stephan. de Vrbib.* [16] *Diodor. lib. 14. Plutarch. in Timoleon.* [17] *Athen. lib. 2.* (18) *Herodot. lib. 5.* (19) *Thucyd. & Athen.* [20] *Diodor. lib. 4.* (21) *Liv. lib. 24. Herodot. in Polymn.* (22) *Diodor. lib. 4.* (23) *In Regni Dei diſſert. 92.* (24) *Sicil. antiqu. lib. 2. cap. 3.*

proximo Christi adventu jam inclinante Idololatria, nec novos, ultra, cultore frigescente, Ethnicorum foci excluderent Divos;minus deinceps undante fumo, & veteri thure inanibus acertis per pauciora volumina se explicante.

17 Quod autem insulsus ille posthumæ Isagoges P.Octavii Cajetani, adjectis de propria penu, & interjectis notulis, conspurcator potius, quàm editor subdit ad calcem capitis 31. nullum Panhormi Templum Gentium Diis dicatum fuisse, quia nulla unquam Idololatriæ labe inquinata Urbs veri Dei cultum perpetim servavit illæsum, risu excipio. Liber ille, quem, expendendis novitatis hujusce momentis, in dies expectandum spondet,tribus à cauta fide lustris lucem adhuc non vidit, nec totidem fortè sæculis visurus. Itane? Unicum in Orbe Templum Solymæum ex Sacra Historia didicimus, in quo adorare oportebat: & huic integra Urbs primas contendat, in qua nonnisi veri adoratores adorantes in spiritu, & veritate? Gens illa Israelitarum Sancta, Populus adquisitionis, in cujus prospectu Sanctuarium Dei habitantis cum hominibus,ad cujus aures Lex,& Prophetæ, ad dies, & momenta à prima mente deflectens statuebat excelsa, adibat lucos, conflabat Idola, & corporum spectra quærebat, quæ adoraret: Panhormus una in angulo Italiæ nunquam malferiatos aluit cives, & advenas, qui Deos colerent, quos viderent; superinundantis Idololatriæ cataclysmo, qui Orbe oppleto cacumina Sanctorum Montium operuerat, immunis à naufragio Arca, & penè Christi Servatoris redemptione non indiga? Nullus apud suos irrepsit Baal! nullus Astaroth! Beelphegor nullus! Disperеam, si credidero.

18 Celeberrimam satis Urbem iis præconiis attolli oportuit, quæ plausum ab eruditis, non iras expectent, & nauseam extorqueant à vulgo. Anne laudatium ore Panhormus excidet, si nullius phani vestigium ad nos usq; perennat;aut novi Numinis in Divorum album relati? Potuere & centena, quæ fuerint, ad cultissimæ Urbis ædificiorum magnificentiam, funditus dirui,& nova superjecta mole memoria consepeliri. Potuit & Populus olim multus ita veteres omnium congentilium Deos amplecti, ut eadem sint monumenta Deorum, quæ ubique Sicilia habuerit, ac Panhormus. Laus, hæc quidem est, non injuria.

19 Ne Sacris prophana proludentes miscuisse ultra mensuram criminemur, delubra quædam, quorum superest memoria, ac ruinæ Sanctorum nominibus post Evangelium consecrata, recensenda; ut aversus infandis ritibus oculus, veræ lucis primordia,quò meridie pleno frui possit,lubens suscipiat. Segestanum (1) igitur, Netinum, & Macharense, templis D. Joanni nuncupatis loco cessere;Ennense Cereris, Virgini Deiparæ; Leontinum Solis, D.Vito; Lilybætanum Apollinis, Joanni Baptistæ; Erycinum Veneris, Sanctæ Mariæ ad Nives. Agrigenti aram Concordiæ,Divus Gregorius Urbis Episcopus occupavit.Vulcanium inColle, Virgo Parens à Monte Serrato.Catanense Cereris, Sanctissimæ Trinitati decessit. Bacchus, Agathæ Tutelari.Templum Herculis in ora por-

(1) Cajet.in Isagog.c.31.

portus Syracusii, Mariæ Magdalenæ dicatum. Concordiam ab ara in Acradina, Lucia Civis expulit. Minerva in Insula, ædi maximæ Sapiētiæ increatæ Matris prælusit. Messanæ(1) ad rudera phani Dianæ Peloritæ, Virgini à Crypta constituta Ecclesia. Ex columnis Templi Neptuni Peloritani, primarium Urbis exurgit. Dioscuros, Philippus Argyrion facessere jussit. Herculem Manticlum, Præcursor Joannes. Saturnum, Jovem, Venerem, Myrionyma, & Pantheon, eliminata prophanæ Religionis spurcitia, Virgo Alemania insedit. Eadem certè sors pluribus cæteris, quæ Historiæ clades excussit.

20 His collectis, quæ superaverunt de mensa Dæmonum, fragmentis, ne pereant; sed calcatæ à Siculis, Christo vindice, Idololatriæ trophæa perennent, & spoliatæ superstitionis manubiæ; Ecclesiasticæ Historiæ fila à Virginis partu ord mur. Adeste labori, qui corda nosti omnium, & quę labe cares omni. Pura, utriusque munere, narratio sit, quam in seligendis incuria, aut credendi selectis facilitas non inquinet; neve insyncerum prę'udicii ullius studio circumventum cor dicenda concipiat, aut concepta eructet. Verbum Patris, quæ debeam, non quæ possim, verba dato conferre; & quæ benevolum, non iratum Lectorem sortiantur verbis uti, Verbi Mater impetra.



B

(1) *Morabit. Annal. in Eccl. Mess. ad an. 48.*

# ANNALES
## HISTORICO-CRITICI
# ECCLESIÆ SICULÆ

## SÆCULUM PRIMUM

### §. I.

### *ECCLESIASTICARUM RERUM SYNTAGMA*

1 Ecclesiasticæ Historiæ ineundæ rectus ordo exposcit, ut eam prius, inter plures, quæ apud Eruditos obtinent, Epocham adoptemus, cujus seriem perpetuò in enarrandis sectemur, & vulgari usui plausibilior sit; quippe, an verior, alterius negotii res est. Christianam Æram seligimus; sed hæc etiam apud Authores varia, quamvis in idem recidere quisquam contendat ex regulis Menardi (1) pro Chronologiis conciliandis. Cũ enim Epocha quælibet plures habeat hypotheses, longiores alias, alias breviores; & nova quælibet supra antiquam juxta diversas Epochas fundetur; liquidò colligitur tempora visu diversa, quæ ex diversis hypothesibus prodeunt, in idem ferè tempus coincidere. Alia igitur Christi ÆraVulgaris,& Dionysiana, quam Dionysius Exiguus, Jesu Salvatoris Natali ad annum Imperii 44.Octaviani Augusti protracto, constituit; sed hæc cessit ab aula, cùm hoc anno defunctum jam Herodem historia testetur; sub quo tamen in Judæa principante Christum natum constat ex Evangelio. In veriori designanda doctissimi Authores dissentiunt, tot opinionibus addicti,quot inter annum 39. & 44. solidi anni intercipiuntur, quibus ab Æra Vulgari abscedendum. Anno Augusti 39. natum Redemptorem volunt Pagius, Capellus, Keplerus, Schelstratus,Bollandus. Anno 40. Petavius, Ufferius, Senescallius, Norisius, Natalis Alexander. Anno 41. P. Lamy, & alii. Anno 42. Baronius, Joseph Scaliger, Vossius. Nos plausibiliorem ducimus eum Gravessonio [2] eam, quæ anno 40. Imperii Augusti, à cæde Cæsaris numerato, seu Juliano 41. Christi Nativitatem consignat; ipsique eventuum Epocham conformabimus, & Cæsarum seriem.

2 A Christo nato ad annum Æræ 40.& Caii Imperatoris postremum nil Sicilia habuit, quod Ec-

B 2 cle-

[1] *Apud Honor. à S.M.in reflex. de us. & reg. Critic. diss.*1. *n.*1.*art.*3. §.3.
(2) *De Myster. Vit. Chr. diss.* 6.

cleſiaſtico Scriptori negotium faciat, nec allæ fortaſſis in occiduis Orbis regionibus Eccleſiæ, quo lacunam hanc impleant, habebunt. Prodigia tamen, & catellus tulit, quæ ortum de Virgine, & in Cruce paſſum enunciarent; ſi plena traditionibus fides. Templum Veneris Erycinæ, naſcente Domino, corruiſſe derivata à majoribus fama huc uſque perduxit. An autem eadem ipſa Nativitatis nocte, aut die, non ſatis compertum. Jacobus Hadria (1) Phani ruinam eo tunc accidiſſe affirmat, ſed novitius homo, quantumvis eruditus, nulla vetuſtiorum authoritate ſuffultus, majus momentum traditionis ponderi neutiquam addidit. P. Octavius Cajetanus (2), qui circa id ſaltem temporis dirutum exiſtimat, nil præter conjecturas, & calculos adfert, firmandæ traditioni impares. A Diodoro (3) ſiquidem Siculo, qui ſuperſtitis delubri famam effert, ad Strabonem (4), qui deſolatum memorat, annos triginta recenſet, quorum duodecimus poſt Diodorum, & decimoctavus ante Strabonem incidit in annum 41. Auguſti, in quo Chriſtum natum ſentit; ſed partitionem hujuſcemodi in portiones has non æquas, & non alias, nonniſi hariolando, & judicio ſuo profert. Nec relevat accommodatitius Scripturæ ſenſus in Iſaia (5), & ibi Hieronymus, qui ingreſſum Domini in Ægyptum ſuper nubem levem de Nativitate Verbi in carne exponit, ut inde corculum Ægypti tabeſcens in medio ejus, interpretetur de Venere, cujus Phanum in Sicilia concuſſum: hoc ſanè Rhetoricum hominem ſapit, non Hiſtoricum. Sive igitur nocte eadem, ſive eodem circiter anno exciderit, ſola traditio firmat. Ex Diodoro autem, qui circa medium Auguſti dominatum adhuc perennans, & Strabone, qui ſub Tiberii initio collapſum memorant, non improbabilem ſub id temporis ruinam dumtaxat colligimus.

3 Ethnici, quibus ignota ſalutis noſtræ Myſteria, temporum injuria delubrum contritum putarunt. Hinc Segeſtani apud Tacitum (6) à Tiberio ædem Veneris apud Erycem montem, vetuſtate delapſam reſtaurari poſtulavere. Et poſt annos Claudium Imperatorem, narrat Svetonius (7), ex ærario Populi Romani reficiendum ſanxiſſe. Mirum quidem viſum Lipſio (8) Tacitum Tiberio tribuere, quam Svetonius Claudio adſcripſit, Erycini templi refectionem; haud facilè quippe creditu tam brevi annorum intervallo bis refectum. Iteratam hanc reſtaurationem non difficilis P. Cajetanus admittit, biblico Dagonis exemplo, de more ductus; cujus ſimulacrum, Arca in Templum inducta, pluries loco motum, & reſtitutum. In idem propendet Morabitus inquiens: (9) *Adverto clarius inter utrumque caſum differentiam reperiri. Cum enim Segeſtani nondum fidem recepiſſent, templum, quod lapſum, ipſis petentibus, reſtauratur, ſecus autem recepta fide. Tunc enim Claudius ex ærario, ſilentibus ipſis, refici ex imperio mandat.* A Tiberio cœptum refici, à Claudio abſolutum cenſet Marcellus Donatus apud Cajetanum: Ego ſanè à nemine reædificatum autumo, ad veri Dei cultum Orbe paulatim de-

(1) *3. de Vall. Mazar.* (2) *c. 13. Iſagog.* (3) *l. 4.* (4) *l. 6. Geogr.* (5) *c. 19.* (6) *l. 4.* (7) *in Claud. c. 25.* (8) *in illud Tacit. l. 4.* (9) *Annal. Eccl. Meſſ. ad an. 56.*

deflectente, & Siculis fide jam initiatis, nil amplius de Ænea conditore, aut Idolis, cogitantibus; nec verosimilis spontanea illa ædium, sive in Sicilia, sive alibi gentium, reficiendarum, nullo impellente, cura in Romanis Imperatoribus.

4 Hinc Pausanias (1), qui ex adverso adducitur, sub Hadriano, & Antonino Scriptor, Græcus homo, cui nec fortè compertum, an in vertice, vel ad radices Erycis templum extiterit, (ita obscurè loquitur) potuit Diodorum authorem gentilicum secutus, templum quasi adhuc perennans celebrare, & in errorem trahere Ælianum (2) auditorem. Nullum his subsidium adfert Pomponius Mela (3) à Caietano citatus; quo enim hic codice usus rotundè scripserit; *mansisse sub Imperatore Claudio ex Pomponio Mela constat, qui eodem Principe scripsit; ac post refectum ab eo templum Erycem maximè memorari tradit ob delubrum Veneris*; non novi. In eo certè, quem mihi fors obtulit, non legi nisi arida hæc verba: *Montium Eryx maximè memoratur ob delubrum Veneris*. Annè templum Hierosolymitanum extare oportet, si quis Hierosolymam celebrem dicat ob excitatum à Salomone templum? expiscari hinc nemo valet, an ab eo quod fuerit, vel quod superfit, celebris dicatur.

5 Fazellus, (4) cujus ætate plures in Sicilia reperti lapides, quàm Pyrrha, & Deucalion post terga jecerint, unum memorat his insculptum verbis: *Deæ Veneri Erycinæ dicatum*; & mox Cajetanus pro refectione decertans: *ab aliquo certè Romanorum Principe*, subdit. Sed quod Romanis dumtaxat Principibus templa dicare datum, aut his saltem, qui post Christum, non facilè adquiesco.

6 Aliud Sicilia portentum vidit Christo expirante. Ad Neptunii collis radices (Tauromenium inter, & Messanam Mons hic exsurgit, non procul à freti Siculi ora) vallis abrupta, quam finitimi traditione parentum accepere terræmotu apertam, qui terram Christo patiente quassavit. Tyndarim quoque Urbem, præruptæ rupi ad Tyrrhenum mare insidentem, mediam tunc discissam plures arbitrantur. Cum tamen Fazellus (5) indigena casum Urbis, & dimidiam in mare excussam ad undarum impetus, qui sæviente hyeme radices rupis excederant, referat; & ex exteris Apollonius apud Phlegontem (6), Asiæ per terræmotum devastationem, quæ accidit anno Christi 19, cum pari Siciliæ clade confundat, non adeò solidè Tyndaridam sub Christi morte concussam habemus; quod de Neptunia valle constanter affirmandum ob Siculorum traditionem, quæ nemine contradicente invaluit.

7 Anno Christi 41, & Claudii Imperatoris 1. Messanenses descensum Pauli Apostoli ab Illyrico Rhegium, & inde Messanam, adstruunt, ubi prædicatum Evangelium; an autem primò, dissertatione speciali expendemus; ubi probabilitate sua non carere seriem hanc peregrinationis Pauli substinebimus. Legendi interim ex Messanensibus Scriptoribus Paulus Belli (7), Placidus Reina (8), & Carolus Morabitus (9). Constans apud Ci-

(1) *in Arcadic.* (2) *l.1.var.Hist.* (3) *l.2.c.7.* (4) *Dec. 1. l.7. c. 3.* (5) *Dec. 1. l. 9. c. 7.* (6) *de mirabil. l.* (7) *lib. Glor. Messan.* (8) *2. p. Notit. Hist.* (9) *Annal. Eccl. Mess.*

Cives traditio adolevit, quam nemo, nisi eum sanguine evellar, Magistratum, & Populum Legatos ad B. Virginem, tunc Hierosolymis certè superstitem, destinasse, qui Urbem in clientelam commendarent; eosque Paulo comite profectos, sequenti anno reduces dulcem Epistolam Deiparæ manu exaratam retulisse, qua susceptum patrocinium testabatur. Traditionem hanc pia Incolarum devotio ab immemorato secuta, Dei Genitricem in tabulis involutum Chirographū præ manibus gestantem expinxit; quam de Litera, & antiquiùs, græco idiomate obtinente, de Grapheo nuncupatam coluit; Templa, & Altaria sub eadem invocatione excitavit; statis temporibus Solemnia in memoriam indixit. Pietatem hujuscemodi fovendam consuere Romani Pontifices, sacro Indulgentiarum thesauro, Dei Matrem sub titulo de Litera venerātibus, aperto.

8 Ego porrò gloriam hanc Siculis gratulor, non invideo. Opinio quippe popularis, & usus Ecclesiæ aliquam probationem facit; cum traditio ab uno ad alium decurrat usque ad eos, qui post plura Sæcula scripserint, ut advertit Egregius Criticus Honoratus à S. Maria (1), cujus regulas octo, quas articulo sequenti [2] pro traditionibus discernendis præstitit, legitimas in hac experior.

9 Prima est: quod Vana, Superstitiosa, & Inutilis traditio non sit. Piam autem hanc, & fidelium devotionem fovere natam agnosco. Unde illud Augustini (3) lubens usurpo; *In his, quæ varia per diversa loca servantur, una hæc saluberrima regula servanda est: quæ non sunt contra fidem, nec contra bonos mores, & habent aliquid ad exhortationem vitæ melioris, ubicumque institui videmus, vel instituta cognoscimus, non solùm non improbemus, sed etiam laudando, & imitando sectemur.*

10 Secunda: quod oportet præsumere, Episcopos non sine fundamento admisisse, licèt fortassis nobis ignoto; *difficile quippe*, verba sunt Francisci Pisani, (4) *est creditu in Ecclesiis etiam particularibus, in quibus multi sanctitatis probatæ viri existunt, reguntur que à Prælatis prudentibus, & zelum habentibus, aliquid tradi commentitium, ac fictum, ob iisdemque tolerari; quod maximè ad providentiam Dei spectat nihil unquam hujusmodi permittere.* Quid igitur si Romani ipsi Hierarchæ Messanensium traditionem spiritualium gratiarum indultis prosequantur?

11 Tertia: quod locus nullus dubitandi subsit ob probationes claras, & convincentes falsitatem. Qui non spiculo, sed Solis lancea traditionem hanc exagitarit, & excusserit, non novi quemquam. Rocchus Pirrus (5) accuratus aliunde Scriptor, sed adeò partium studio sideratus, ut sui ipsius sæpò obliviscatur, Sæculo decimoseptimo provinciam suscepit, quem ejusdem furfuris alii ad apicem secuti; sed obscuris dumtaxat conjecturis, & quas Eruditus facilè exsufflet, diuturnam Messanensium possessionē primus revocavit in utrum. Ipsum tamen exteri quamplurimi præjudicio nullo præventi spreverunt, eam Martini de Ajala (6) sententiam secuti, *eas traditiones consuetu-*

(1) *Reflex. super reg. & us. Critic. diss. 7. art.* 8. §. 2. [2] §. 3. [3] *lib. 2. ad Januarium cap.* 18. (4) *Hist. Toles. de fundat. templi Cæsaraug. cap. de tradit.* (5) *Differt. Not. 2. Eccl. Messan.* (6) *lib. de tradition.*

*tudine Fidelium observatas, ad cultum Dei, & pietatem pertinentes, necessariò in Ecclesia, ubi vigent, retinendas esse; nec audiendos eos, qui hujusmodi privatas traditiones pervicaci ingenio oppugnant*, quid si unus, vel alter dissentiat, quamvis probus, qui novas tamen rationes in adversum non ingerat? An ideo expungendus liber Sapientiæ, quia Rupertus à Canone Scripturarum ablegavit?

12 Magnum aliquibus negotium facessit Baronius (1), cujus tamen criterium post Pagium, & recentiores Criticos non nimis obtinet apud Eruditos, satis eo tantum gloriosus, quod primus cæteris glaciem fregerit, quare autem adeò leviter in oppositum sensum declinaverit, latè expendit Reina citatus (2); ejus quidem nomen apud Romanos celeberrimum; non tamen ideo contra cæterarum Ecclesiarum traditiones prævalere censendum. Romana nihilominus Ecclesia Indulgentiarum indulto pro traditione suffragium tulit, ut diximus. *Scit quippe*, ut habetur in Decreto (3), *quod nihil obsunt saluti credentium diversæ pro loco, & tempore consuetudines, si illis Canonica non obsistat Authoritas, pro qua eis obviare debeamus; unde nihil judicamus eis debere, vel posse resistere.*

13 Quarta est: quod nihil habeat risu dignum, aut incredibile. Traditioni Messanensi controversia ipsa fidem conciliat; & qui supposititiã cõtendunt, causã juvant. Inde quippe Sircheradius (4) subdititia non reputat omnia priscis Patriarchis adscripta opera, quia si nihil scripsissent, qua fronte quis libros ipsis supposuisset? ideo ergo ausus, quia omnibus compertum quod scripserint. Hac etiã conjectura (5) Dupinus authenticas Ignatii Martyris Epistolas tuetur, quæ aliquibus spuriæ; & ad intentum nostrum extendi posse Honoratus (6) ipse fatetur.

14 Quinta est: quod nihil contineat dissonum usui, tempori, personis &c. Quid autem magis Deiparæ Virginis pietatẽ elevat, quàm patrocinium suum redemptis Civibus data Epistola despondisse? Quid Apostolici verbi efficaciam clariùs illustrat, quàm Doctorem Gentium Messanenses adeò prædicatione incendisse, ut Domini sui Matrem videre exoptarent, & legatione constituta venerari? Insitum autem Paulo desiderium, eis, quos converterit, comitem se adjungendi, testatur ipsemet (7) ad Corinthios: *Cum autem præsens fuero, quos probaveritis per epistolas, eos mittam perferre gratiam vestram in Hierusalem; quod si dignum fuerit ut ego eam, mecum ibunt.* Itineris verò hujus epocham, quam aliqui dissimulant, dissertatione de Bacchylo examinabimus.

15 Sexta est: quod Traditio convulsa non fuerit ab Authoribus Synchronis. Scriptores Synchronos pro Messanensi traditione non habemus; ille tamen, qui propior successit Sæculo 4. Lucius Fl. Dexter (8) pro ipsa suffragatur. *Apud Messanenses celebris est memoria B. Mariæ Virginis, missa ipsis ab eadem dulci Epistola*; eos, qui tanti Viri Chronicon, vel ex integro subdititium, vel ex hac parte interpolatum exclamant, judicio suo freti, non solida ratione, inter illos accenseo, quos gregatim Honoratus ipse perstrin-

(1) *Ad an.* 48. *c.* 16 [2] *p.* 2. *Not. Hist. ad an.* 517. [3] *Dist.* 12. *c. Scit* [4] *Lum. Hist. Sacr. V. & N. T.* [5] *Bibl. t.* 1. [6] *Diss.* 7. *art.* 6. (7) 1. *Cor.* 16. (8) *ad an.* 86.

ſtringit; fuctos nempe, Authores, qui ſecum ſenſerint, uſque ad ſydera evehere; qui contra nitantur, exſufflare; quod cordatiores Critici ſubſannant.

16 Septima: ſi Scriptores diſſideant; an facti ſubſtantiam opinantium diſſenſio feriat, an circumſtantias, obſervandum. Ex duobus, quæ circumferuntur, Epiſtolæ Marianæ, exemplaribus, quorum unū è Græco fonte derivatum, aliud à Syriaco, eadem rei ſubſtantia colligitur; ſcriptas nempe à Deipara Meſſanenſibus Literas, promiſſum patrocinium. E Græco tranſtulit Conſtantinus Laſcaris Sæculo 15. in hunc modum.

MARIA VIRGO Joachim Filia, Dei humillima, Jeſu Chriſti Crucifixi Mater, ex Tribu Juda, Stirpe David, Meſſanenſibus omnibus ſalutem, & Dei Patris Omnipotentis benedictionem.

VOS omnes Fide Magna Legatos, ac Nuncios per publicum documentum ad Nos miſiſſe conſtat. Filium noſtrum Dei genitum, Deum, & Hominem eſſe fatemini, & in Cœlum poſt ſuam Reſurrectionem aſcendiſſe, Pauli Apoſtoli electi prædicatione mediante, viam veritatis agnoſcentes; ob quod Vos, & ipſam Civitatem benedicimus, cujus perpetuam Protectricem Nos eſſe volumus. Anno Filii Noſtri XLII. Indictione I. III. Nonas Junii, Luna XXVII. Feria V. Ex Hieroſolymis. Maria Virgo, quæ ſupra, hoc Chirographum approbavit.

17 Sæculo 18. ineunte repertum aliud in Bibliotheca Patriarchali Monaſterii S. Antonii de Canobio in Monte Libano, charactere Naſtutico, ſeu Chaldaico antiquato, in M. SS. Codice, quem S. Joannis Evangeliſtæ autographum eſſe, à primo hærede Ignatio Patriarcha Antiocheno ad ſucceſſores tranſmiſſum, teſtatus eſt Romæ jure-

jurejurando interposito anno 1714. qui ibi legerat Antonius Metoscita Sacerdos ex Maronitis, & Vicarius Generalis Archiepiscopi Cypriensis; & idem censetur, quod in Arabico Codice perantiquo Athanasii Saphar Episcopi Mardinensis, Romæ item habito, in latinum transtulit Joseph Simonius Assemannus, linguarum Orientalium in Bibliotheca Vaticana Scriptor, & in Collegio Urbano de propagãda Fide Professor, quorum omnium testimonia apud Lutium Antonium Nerium, causarum Curiæ Capitolii Apostolicum Notarium consignata asservãtur, mense Octobri 1714. & mense Aprili 1715. Sic autem habet.

MARIA VIRGO Joachim, & Annæ Filia, humilis Ancilla Domini, Mater Jesu Christi, qui est ex Tribu Juda, & de Stirpe David, Messanensibus omnibus salutem, & à Deo Patre Omnipotente benedictionem.

Per publicum documentum constat, Vos misisse ad Nos Nuncios Fide Magna; Vos scilicet credere Filium nostrum à Deo genitum, esse Deum, & Hominem, & post suam Resurrectionem ad Cœlum ascendisse, Vosque mediante Paulo Apostolo electo viam veritatis agnovisse. Propterea Vos, vestramque Civitatem benedicimus, & protegimus, & defendimus eam in sæcula sæculorum. Data fuit hæc Epistola Die V. in Urbe Hierusalem à Maria Virgine, cujus nomen supra. Anno XLII. à Filio ejus Sæculo I. Die III. Junii. Luna XXVII.

18 In utraque harum eandem observare est phrasim, & loquendi formulas; dissensus autem in uno, vel altero verbo traditionis veritatem solidat, non deprimit. Inefficax siquidem est, ut sentit Riccardus Simon (1), M. SS. pluralitas, si ad apicem, & unguem con-



(1) *Diss. Critic. in M.SS. N.T. apud Honor. cit.*

consentiant; indicium quippe est, quod ab uno cætera ejusdem Provinciæ expandi potuerint. Imò Syriacum quædam incongrua quibusdam visa ex inscriptis, & subscriptis Græci exemplaris, ad limam revocat, ut expendit Mennitius Abbas Generalis S. Basilii in Epistola ad Senatum Messanensem, publici juris jam facta. Recolenda hic regula critica Mabillonii (1), quod, si quæ addita reperiantur, nō debet ob id in totum Diploma rejici, eo vel maximè, si in calce adnotentur. Et alia apud Dupin [2], Simon [3], & Ruinart [4]; quod si in operibus antiquioribus fit mentio rerum recentiorum, fortassis addita fuisse censendum.

19 Hinc quippe sponte corruunt, quæ Epistolæ criminatores congerunt de more consignandi Epistolas per Sæcula, Ferias, Indictionem, Dies &c., quæ fortè ætate illa recentiora obtendunt; quid enim si Traductor, ævi sui morem secutus, ea intruserit? quid si Divus ipse Joannes notiones illas in memoriam facti inseruerit? Legantur de his citati Reina, Belli, & Morabitus; qui licet in Epocha designanda ab antiquioribus declinēt; non tamen ideo eos criminamur: an quid clarius in nocte illa temporum exspectandum? Nos quidem, qui Siciliam gloria ista per traditionem, & diuturnam possessionem firmata, spoliandam abnuimus, non ex eo præ cæteris criticas has dilucidationes extollimus; sed notitiis non omnino authenticis, nec certis uti, cum meliores non suppetunt, fas esse arbitramur cum Tillemontio (5) super S. Timotheum, cujus acta ex Bollando, nō nisi hac ratione, probanda suscipit.

20 Octava est: quod oporteat momenta, quæ ex adverso objiciuntur, diffiare. Hoc sanè Gentici Scriptores pro viribus præstiterunt; hoc & nos breviter, prout occasio tulit, non quidem luce ipsa clarioribus adductis rationibus; quis enim in re tam obscura meridiem quærat? sed quas impossibilitatis, aut inverisimilitudinis nemo arguat. Hoc ipso autem, muneri satisfecisse tuebitur Arnaldus (6) apud Tillemontium (7), asserens, quod, si factum sit aliunde sufficienter attestatum, & aliàs oppugnetur per absurda, & apparentes aliarum historiarum contradictiones, sufficit solutionem esse possibilem, & verosimilem; irrationabile quippe est, positivas probationes exigere: exemplum sit in antiquorum silentio, quod ita contra opinantes instant, ac si palmare abnutorium argumentum esset. Cur enim recentiores sive approbantes, sive non improbantes adducere satis non sit, & verosimili fundamento traditionē firmare? Silentium sanè, ut docet Thiers (8), antiquorum non urget, quando ipsi, vel unius gravis, docti, & ingeniosi Scriptoris, quātumvis novitii, quantumvis recentioris, adversabitur authoritas. Majori quippe ponderi novimus unā verosimilitudinem subcollare. Sic Riccardus Simon (9) satis firmatū existimat Moyse Authore Pentateuchum prodiisse, eo præjacto fundamento, quod verosimile est in antiqua Judæorum Republica publicos Scribas extitisse.

21 Denique supercriticus ille, cu-

(1) *De re diplomat. l.4.c.6.* [2] *Bibl.t.1.* [3] *Hist.Crit.V.T.c.4.* (4) *Act.select. præf.* [5] *t.2.not.5.sup.S.Tim.* (6) *Diss.sup.S.Jac.* [7] *t.1.* (8) *Exerc.advers. Laun.de auth.negant.arg.c.17.§.1.* [9] *Hist.Crit.V.& N.T.l.1.c.1.*

cujus regulas expendimus, Author concludit, quoties eas omnes servari non datum, examinandum, an potius sit traditionem rejicere, quàm tolerare. Quid Orbi universo præjudicii emergat, si B. Virgo ad Messanenses scripserit, ut Siciliam Scriptores, & quod dolendum, Gentici, tanto thesauro spoliare satagant? ex his Pirrus (1), occasione arrepta, vel quæsita, excutiendi Bacchylũ ab Apostolo Paulo Episcopum Messanensem consecratum, in Epistolam debacchatur; quasi non potuerit Civitas Episcopum à Paulo suscipere, & legationem ad Deiparam non destinasse, aut populos omnes, quibus impositus ab Apostolo Episcopus, Epistolam à Virgine extorsisse oportuerit. Bilem herclè in hujus scriptionis genere video, non crisim, cum & ea eructet, quæ livorem, non veritatis zelum præseferant. Quid Messanæ cum Florentia, ut eodem ariete missas ad utramque Epistolas impellat, & Hieronymi Savonarolæ manes vapulent, quasi ex condicto eodem temporis, quo Lascaris Messanensem Epistolam commentus est, ipse Florentinam intruserit? quid de Savonarola, & ejus scriptis sentiendum, discat ex brevi Chronico Magistrorum Generalium Ordinis Prædicatorum, quem professus est, editionis Romanæ anno 1690. ad calcem libri Constitutionum adposito, ubi sic: *Hujus*, Savonarolæ, *opera, cum à quibusdam æmulis examinanda ad Pontificem delata fuissent, S. Philippus Nerius, qui cum aliis pro felici illius negotii in Ecclesia nostra S. Mariæ super Minervam successu orabat, vidit Christum manu sua omnes, qui pro eadem re preces fundebant, benedicentem; unde præ cordis jubilo exclamavit: Victoria, Victoria; exaudita est oratio nostra.*

22 Anno Christi 44. Claudii Imperatoris 4. ad hunc annum rejicimus Marcianum, & Pancratium à Petro Apostolo in Siciliam missos, non enim tempus istud anteverstisse P. Octavius Cajetanus evincit. Hoc enim anno Romanam Petri profectionem adstruere cum Eusebio parachronismum implicare ostendit Pagius ex Valesio (2). *Sententia hæc refelli videtur ex Actibus Apostolorum, ex quibus constat Petrum in Judæa, & Syria semper mansisse usque ad ultimum annum Agrippæ Regis, qui cum Petrum Hierosolymis in vincula conjecisset, paulò post, divina eum insequente Justitia, extinctus est. Cum igitur anno 4. Claudii mortuus sit Agrippa, ut inter omnes convenit, Petrus ante annum Claudii 5. Christi 45. Romam proficisci non potuit. Sed & Author Chronici Alexandrini scribens Concilium Hierosolymitanum, cui præfuit Petrus, celebratum anno Christi 46., Petri Romam adventum tardiùs refert; ex ejus enim sententia sequitur, Petrum ante annum 7. Claudii, Christi 47. Romam profectum non esse.* Hinc cohærenter ad priùs dicta de accessu Pauli Hierosolymam cum Messanensibus Legatis, fidem non demerentur Acta Græca, ex quibus habetur, Petrum, suasu Pauli, Marcianum, & Pancratium in Siciliam destinasse; quidquid in adversum strepat P. Cajetanus (3); eo enim Pauli itinere firmato, nihil obstat, quin portum Antiochenum tetigerit, & Petro congressus, in novam messem operarios mittendos suaserit,



(1) *Not. 2. Eccl. Mess.* [2] *Vales. in not. ad Eusch. l. 2. c. 6. ap. Pag. brev. gest. RR. PP. in Petro n. 4.* (3) *Isagog. c. 41.*

rit, qui post aliquod temporis interstitium, oblata Siciliensium Navium opportunitate, profecti sint.

23 Bartholomæum Apostolum, addunt aliqui, cum Pancratio Evangelium in Sicilia prædicasse, à Jacobo Middedorpio (1) decepti, qui asserit: *Petrum Apostolorum Principem veram Jesu Christi Philosophiam Siculis restituisse, Pancratium ejus discipulum, & Bartholomæum Apostolum diligenter promovisse.* Hoc quidem commentum facilè exploditur ex Provinciarum partitione, quæ Apostolis obtigit, & retro ante Sæculis inaudita apud Historicos Bartholomæi in Occidente prædicantis memoria. Illusionis originem deduco ex Gullielmo Eysengromæo (2), qui ex Vincentio Bellovacensi, quem attentè fortassis, ut par fuerat, non legit, didicisse se affirmat. *Bartholomæum Apostolum Ecclesiam in Sicilia collegisse, & in ea Papinum quemdam reliquisse.* Porrò Bellovacensis (3) non de Bartholomæi prædicatione, sed de transitu Corporis ejusdem à Gentil bus mari commissi, per fretum Siculum, exertè loquitur, cum quatuor aliis SS. Martyrum loculis, inter quos Papinus (fortè Pappianus), qui Siciliam, Deo ductore, appulit; ut nos infra.

24 Duo sunt, quibus Siculi sub hoc tempus gloriantur, primas Orientali Ecclesiæ præripuisse; nempe Sacratum Virginum Collegia, à Pancratio Tauromenii instituta; ejus quippe Acta Chrysem memorant Dianæ Sacerdotem, à Pancratio lepra mundatam, fide imbutam, & in Diaconissarum cœtum inductam. Beatam insuper Paulinam, Mariam, & Sejam sorores, & alias plures Chrysæ Archidiaconissæ curæ subjectas, & simul in Oratorio ministrantes; ut legere est apud P. Cajetanum (4); qui tamen idem sub Marciano actum Syracusis se arbitrari fatetur; cum eandem à Petro disciplinam hauserit, ac Pancratius. Sed levis sanè conjectatio: ex eadem enim docentis authoritate disseminatum Verbum, estoin terram bonam ceciderit, alibi fructum centesimum ferre potuerit, alibi sexagesimum. Item Christiana res agris, & latifundiis aucta. Bonifacius enim Vir Princeps in Actis Pancratii memoratur, qui iis Ecclesiam locupletarit; sed an possidenda contulerit, quod certè primò auditum; an, ut mos ferebat illius ætatis, & in Actibus Apostolorum legimus, potius vendiderit, & pretium in egenos, & verbi Ministros erogandum sit largitus, affirmare non ausim.

25 Anno Christi 47. Claudii Imperatoris 7. Petrum Apostolum Urbem bis adiisse, primò sub Claudio, secundò sub Nerone, non omnes conveniunt. Sanè antiquorum silentium de geminato hoc accessu, quem ostendit Baluzius (5) in notis ad Lactantium, non facilè spernendum, elocutus quidem satis abnuendum ex Basnagenio [6]; Si potuerint, & debuerint meminisse, & omiserint. Pagius citatus verosimilius reputat semel tantum venisse, & sub Nerone, & post decennalem sessionem Martyrio laureatum. Pro se citat Auctorem libri Pontificalis: *Petrus ingressus est in Urbem Romam, Nerone Cæsare;* & Lactantium [7]: *Cumque jam Nero impera-*

(1) *Acad. Orb. Christ. l. 2.* (2) *Hist. Eccl. cent. p. p. 4. d. 8.* (3) *l. 9. c. 87.* [4] *Isagog. c. 41.* [5] *Apud Pag. cit. in Petro n. 4.* (6) *Hist. Eccl. in præf. apud Henr. à S. M. diss. 3. art. 2. §. 3.* [7] *l. de mort. persec. c. 2.*

*raret, Petrus Romam advenit &c.* Sed an tunc primò ingressus, aut advenerit, ex Auctoribus his non satis percipio; maximè cum Lactantius subdat: *Deoque templum fidele, ac stabile posuit*; idest amplius non discessurus. Si tamen iis, qui duplicem adstruunt, morem gerere velimus, certè nonnisi circa hunc annum accidisse primum oportuit ex calculo, quem supra retulimus ex Pagio de morte Agrippæ, & Concilio Hierosolymitano.

26 Hoc in itinere Siciliam attigisse non est cur invideat Siculis Paulus Æmilius Sanctorus (1), qui provectum Tyrrheno freto, & invisa Sicilia, Neapolim in Campania appulisse refert; siquidem ad infringendam Siculam traditionem, & Authorum suffragantium testimonia, purum, quod de suo judicium profert, impar est. Tauromenium descendisse, & apud Pancratium diversatum Metaphrastes [2] affirmat; ubi Maximum Episcopum inauguravit, & Pancratio successorem constituit. Authorem hunc secuti Vincentius Bellovacensis [3], Gulielmus Spirensis[4], Petrus Galesinus [5], Ugo Etherianus (6), & alii, apud P. Cajetanum (7). Tunc simul cum Petro fuisse Marcum Evangelistam, Martialem, Apollinarem, Rufum, habemus ex Baronio (8), & ex Græcis Menæis etiam Beryllum. Ex Scriptoribus Siculis quilibet Patriæ prospiciens, Petri inde excursum ad alias Civitates, & missos aliò Episcopos obtrudit, vel hariolatur. Suam Messanam adiisse censet Morabitus (9), ut plebem in fide à Paulo susceptâ confirmaret. Syracusas suas P. Cajetanus, quo Marrianum inviseret. Agrigentum misso Libertino gloriatur. Panhormus Philippo. Sed unius Catanæ traditio firmior, quod Beryllum Episcopum susceperit: cæteris probabilitatem suam non abnego. Id certè Apostolorum Principe dignū, Chrysostomi testimonio [10], *Quemadmodum Dux in exercitu obambulans, considerabat, quæ pars sit coadunata, quæ ornata, quæ suo adventu egeat. Vide ubique illum circumcursare.*

27 Anno Christi 51. Claudii Imperatoris 6. Petrum, ii qui bis Romam venisse contendunt, hoc anno ab Urbe pulsum referunt. Svetonius quidem, Judæos ob excitatas cum Christianis simultates Roma facessere jussos memorat (11); *Judæos impulsore Christo assiduè tumultuantes Romā expulit*; an vero eos tantum turbarum causa comprimi jusserit, an etiam Christianos expulerit, an Petrus quia Judæus, vel quia Christianorum Princeps abierit, non satis apertum. Dum Roma Africam navigaret Petrus, Panhormum tetigisse innuit Metaphrastes citatus, ubi Episcopum inaugurasse, Panhormitani traditione sibi compertum testantur. Traditionem veneror; monumenta quibus P. Cajetanus [12] (si interpolationis expers posthumum opus) eam suffulcit: nempe quod qui priùs Orientalem plagam lustraverat, nemo ambigat, quin debuerit & Occiduam excurrere, quodve Panhormus Romā Africam tendentibus recto itinere occurrat, non recipio: syncerior Pirrus (13),

qni

(1) *in Vit. S. Petri.* [2] *apud Sur. die 29. Jun.* (3) *l. 7. c. 87.* (4) *Hist. Eccles.* [5] *in notis ad Martyrol* (6) *de hæres. l. 3. c. 10.* (7) *in Isagog. c. 18.* [8] *ad an. 49.* (9) *Annal. Eccl. Mess. ad an. 49.* [10] *Hom. 21. in Act. Apost. c. 9.* (11) *in Claud. c. 25.* [12] *Isagog. c. 37.* (13) *Not. 1. Eccl. Pan.*

qui uni traditioni innixus, cætera delitescere, & nihil se reperire, quod illustrandæ veritati faciat, ingenuè fatetur.

28 Anno Christi 59. Neronis Imperatoris 6. Paulus Apostolus cum vinctus ad Neronem duceretur, Melita Syracusas appulit, & Orientalem Siciliæ oram circumlegens Rhegium Calabriæ pervenit. In hoc hallucinatos antiquiores Messanensium Scriptores criminantur, quotquot contra Marianæ Epistolæ traditionem insurrexere, quòd tunc Paulum Messanæ evangelizasse dixerint, & Cives ad Legationem excitarit. Ego sanè luce potiùs omni destitutos excusarem, & Sæculorum caligine obvolutos errasse vellem, eo tamen gloriosos, quòd erroribus suis rectæ viæ tramitem posteris Scriptoribus indicarint, quod & Historicis, & Philosophis commune est. Acta Apostolorum Syracusas tantùm innuunt tetigisse, consueta Lucæ Historiographi brevitate, *qui*, ut ait Baronius (1), *tribus ferè verbis res gestas plurium mensium, & annorum pertingit*. Sed cum lentam ejus navigationem per Siciliæ oras fuisse afferat Pater Cajetanus (2), quem sequitur Cornelius à Lapide (3), nautis fortè, vix prodigio superata procella, cautioribus effectis, & Dei providentia disponente, ut Orientale Siciliæ littus collustraret, facilè plurium locorum traditiones admittimus.

29 Vetus traditio apud Nætinos, & Pachyni accolas, Paulum ante aditas Syracusas ibi diverrisse, & ad agrum usque Elorinum, vulgo Saccollinum, ad oram Elori fluvii penetrasse ad quatuor passuum millia, ubi à posteris ejus memoriæ consecrata Ecclesia usque nunc perennat. Syracusis triduo ex Actis Apostolorum commoratus Paulus, Verbum prædicasse permissus fertur, & in circumjacentibus locis, *procul Syracusis*, ait P. Cajetanus (4), *ferè octo passuum millia in agro, cui Solarino nomen, Ecclesia est D. Pauli titulo insignita, & sanè antiqua Architectura, in ea puteus visitur, cujus aqua hausta, ablutisque ægrotis, invocatione Apostoli Pauli, multa in dies miracula patrantur, votaque, & tabellæ pendentes SS. Apostoli collocata adversùs mortales beneficia contestantur. Apud Syracusanos vetus traditio est, D. Paulum Apostolum, cum Syracusas venit, eum in locum excurrisse, Ecclesiamque à Christianis in ejus rei memoriam fuisse extructam, in eo sanè tractu antiquæ habitationis vestigia reperiuntur; forsasse ævo illo Oppidum ibi fuit, quod Apostolus pro charitate sua invisit*. Id ego satis libens crediderim; laxa quippe ab initio Pauli vincula habemus ex Actis (5), *humanè autem tractans Julius Paulum permisit ad amicos ire, & curam sui agere*: laxiora arbitrari licet post miracula cum Chrysostomo (6), *nam cum etiam ante humaniter illo usi fuerint, multo magis nunc*. Syracusis excedens, circa Insulam navigans, ut glossat Lyranus (7), ad oram usque à Messana decem passuum millibus distantem processit, & ibidem descendisse parilis traditio, & excitata Ecclesia firmat. Id Tirinus probat (8): *sed & post abitum Syracusis Apostolum eandem Insulam circumlegisse docet hîc S. Lucas, & ostendunt Siculi, primùm deflexisse in littus, quod est inter Tauromenium, & Messanam, ubi & Ædes* ex-

(1) *ad an.* 58. (2) *Isagog. c.* 21. (3) *in Act.* 28. (4) *Isagog. c.* 20. (5) *c.* 27. (6) *Hom.* 54. (7) *in Act.* 28. (8) *in idem.*

*extat S. Paulo sacra.* An autem Messanam excurrere licuerit, quò Ecclesiam, quam plantaverat, reviseret, probabile existimant Messanenses, & nullo jure inficiaretur P. Cajetanus, Urbem adiisse, qui ad Oppidum excurrisse affirmat. Certè si tunc primus Episcopus non constitutus iratum oppositorem video.

30 Anno Christi 64. Neronis Imperatoris 11. excitata hoc anno prima Ecclesiæ persecutio, quam & Tacitus (1) refert, à Nerone qui Romani Incendii fabam in Christianos cudit, ut sæviendi occasionem arriperet, & eam quidem ad universas Romani Imperii Provincias mox corrivatam restatur Orosius [2]; *primus* Nero *Romæ Christianos suppliciis, & mortibus affecit, & per omnes Provincias pari persecutione excruciari imperavit, ipsumque nomen extirpare conatus.* Quinam autem in Sicilia tunc passi Martyres, suo loco expendemus. Eodem anno NeroCæsar decennalia instituit. Ab Augusto sanè, Dione (3) teste, in cæteros Romanos Principes mos ille celebrandi quinquennalia, decennalia, quindecennalia, vicennalia descendit. Cum scilicet novum Consulatum Cæsares inirent. Tunc ergo solvebantur tributa, convivia, ludi, spectacula edebantur; edicta, si quæ necessaria, causa Religionis tunc promulgata: quod si persecutio in Christianos instituta jam esset, eo magis ingravescebat. In hac persecutione passi Romæ Petrus, & Paulus, quo autem anno, lis est inter Authores, qui novas in dies Epochas comminiscuntur. Baronius, qui Romanam sessionem annorum 25. constituit, ablegat ad annum 69. Pagius, qui decem annos sedisse arbitratur, ad annum 65. Dupinus ad 64. Gravessonius ad 66. Eusebius ad 68: sed profundiùs Chronologiam hanc scrutari, nostri negotii non est. Circa finem Imperii Neronis passos constat.

31 Paulum Apostolum non longè ante Neronianam cædem Romam reversum, unde plures annos vinculis solutus excesserat, Messanenses eodem filo ducunt, quo primò ex Actibus Apostolorũ venisse constat, nempe ex Melita per Syracusas, & Rhegium. Hinc Messanam in itinere descendisse, & defuncto pridem Bacchylo, Bacchyrium successorem inaugurasse contendunt. Traditionem firmant Acta græca vetustissima reperta in Monasterio S. Mariæ de Trapizomata in Calabria, quæ eadem met in Bibliotheca Medicea, quæ & SS. Salvatoris Messanæ extantia inter Homilias Chrysostomi, fucum fecere Constantino Lascari, ut S. Joanni Chrysostomo tribueret. Exemplar autem græcum cum latina versione Lascaritana habes apud Reinam (4), cujus tenor hujusmodi. *Dum S. Paulus Apostolus à Melita, & Gaudisio Insulis recessisset, ut se ad partes Italiæ conferret; Judæi, qui tunc temporis Romæ erant, intellexerunt Paulum Romæ adfuturum, & propterea maxima affecti molestia ad seipsos dixerunt: non satis est omnes fratres nostros affecisse molestia in Judæa, & Samaria, & Palæstina; adhuc quoque venit arroganter à Cæsare postulans, ut nos perderet: concilium fecerunt Judæi contra Paulum, & cum multa tractavissent, placuit eis Neronem adire, ne permitteret Paulum Romam intrare, & adferentes munera dixerunt: te vehementer rogamus, ò Imperator bone, ut omnibus tui Imperii Provinciis scribas, ut* Pau-

(1) *l.13. Annal.* (2) *l.7.c.7.* (3) *c.53.* (4) *p.2. Not. Hist. ad an. 68.*

*Paulus huc nequaquam accedat, sufficit enim nobis molestia, quam à Petro pertulimus. Hæc audiens Nero respondit, fiat juxta petitiones vestras, & scribamus per omnia loca, ut Paulus in partes Italiæ non accedat. Hoc quoque Simon Magus consuluit. His itaque gestis, nonnulli noviter Christiani moniti à Petro, ad Paulum Legatos miserunt, hujusmodi scripta ferentes. Paule serve legitime Domini nostri Jesu Christi, ac Petri frater Apostolorum primi. Audivimus à Judæorum Magistris hic existentibus eos à Cæsare petiisse, ut omnibus Provinciis scriberet te interficiendum, ubicumque inventus fores. Nos verò credimus, quod quemadmodum Deus luminaria magna duo fecit non dividi, ita, & Vos duos minimè divides; nec Petrum scilicet à Paulo, nec Paulum à Petro. Sed verò credimus in Dominum nostrum Jesum Christum; in quo baptizati sumus, dignos fore vestra doctrina. Paulus recipiens duos viros missos cum Epistola, 20. die mensis Maji, promptus factus est, & gratias egit Domino nostro Jesu Christo; ac navigans à Melita, & Gaudisio, non per Africam in Italiæ partes, sed in Siciliam Syracusas se contulit cum duobus Viris missis ad eum, ac inde Rhegium Calabriæ; unde Messanam Nobilem Siciliæ Civitatem pervenit, ubi Episcopum Baccbyrium nomine constituit. Mox Messana digrediens Tendalæ applicuit, mansitans ibi per unam noctem, sequenti die Puteolos concessit.* Fides penes Authorem sit. Ego quidem conjecturas adeò validas, quæ fidem M.SS.his derogent, non video. Nec Testimonii non omnino certi usum abnuo ex Tillemont (1), quando res Sanctis dignas continer, & antiquitatis colorem; unde præsumi queat desumptum esse ex testimoniis originalibus, & magis authenticis.

32 Anno Christi 90. Domitiani Imperatoris 10. Anacleti R. P. 8. post Petrum in Romana Cathedra Linum Volaterranum biennio sedisse omnes ferè consentiunt. Dein verò decennio Clementem, & sexennio Cletum Romanos statuo cum Pagio (2), Anacletum à Cleto distinguendo, & anno Christi 73. assumptū assero, quidquid Eusebius obtrudat de Martyrio Clementis sub anno 3. Trajani, & 100. Christi. Hoc anno Monasticam vivendi formam in Sicilia obtinuisse Authores Siculi colligunt ex antiquis monumentis. Ex Actis quippe Peregrini Confessoris, & fortè Episcopi Triocalitani, qui circa hæc tempora Triocalam prope nuperam Calatabillottam advenit, habetur in spelunca, è qua Dragonem expulit, eremiticam vitam egisse, & in Actis SS. Peregrini, & Libertini Martyrum fit mentio de Asceterio in Monte Crotaleo, cui præpositus quidam Agathus: si ad primum hoc Sæculum eos libeat revocare, ego nil de mea penu promere in hoc ausim. Sanè si Acta obtineant, utramque Orbis plagam Asceteriis suis Sicilia prævenit, & Paulum, Antonium, Basilium, Benedictum, quos posterior ætas tulit.

33 Ad calcem Sæculi nonnisi secundam Ecclesiæ persecutionem habemus, permanente Domitiano, anno Christi 92., sub qua assumptus Anacletus, anno circiter 94., cui Evaristus Græcus successit; & qui ex Siculis occubuerint, loco suo referendum.



(1) *tom.* 1. (2) *Brev. Rom. in Lin. &c.*

§. II.

## §. II.

## ECCLESIÆ SICULÆ PERSECUTIONES.

1 Ecclesiam Siculam, pluries suscitata ab Ethnicis Imperatoribus persecutione, exagitatam fuisse, magis certum, quam in dubium revocari queat; consuetum quippe per universas Romani Imperii Provincias, inter quas eo tunc Sicilia, Edicta ad Christianorum internecionem disseminari. Quot, & qui fuerint Confessionis gloria celebres, tribus prioribus Ecclesiæ Sæculis, sicut in Orbe toto, ita & in Sicilia, nemini plenè constat; cum quarto ineunte, decimam persecutionem movente Diocletiano, Acta Martyrum conquisita, & combusta sint, ac quotquot supererant, monumenta excussa, eò maximè enitente impiissimo Cæsare, ut superstitem ullam Christiani agonis memoriam, posteri non haberent. Pauci, quibus non furor pepercit, sed sedula Fidelium cura cautiùs consuluit, sæpe quo tormentorum genere absumpti, imò & qua persecutione exciderint, vel ignotum, vel incertum. Inde fortassis antiquus Ecclesiæ mos, locum, & diem dumtaxat passionis consignandi, ut apud Gregorium (1) legimus. *Nos penè omnium Martyrum, distinctit per dies singulos passionibus, collecta in uno Codice Nomina habemus, atque, quotidianis diebus, in eorum venerationem Missarum solemnia agimus; non tamen eodem volumine, quis qualiter sit passus indicatur, sed tantùm locus, & dies passionis ponitur.*

2 Id nos libentiùs in Siciliæ Martyribus recensendis, quorumquorumcumque memoria superstat, observabimus; non enim Scriptores habemus exacto octavo Sæculo antiquiores: circa nonum autem ad tabulas se convertisse eos, qui Martyrum priscorum Acta scriberent, habemus ex Baillet (2). Hinc cæterorum coriphæus Metaphrastes, apud Surium (3), regulas quasdam Sanctorum Vitas conscribendi definit, quæ Poeticæ elocutionis præcepta potiùs, quàm Sacræ Historiæ Eruditis videantur: nempe priùs, præparari materiam scriptionis, adeò ut narratio probabile reddat, quod de animo Martyrum, & persecutorum sævitie consignabitur; dein evitari omnia, quæ aures, aut imaginationē lædere ultra fidem valeant; item nil introduci novum, & mirabile, quod gratiæ vires, & Christi potentiam penè exhauriat &c. Hoc certè audientibus tantùm, non credentibus, scribere est; & majores habendæ gratiæ Diocletiano, qui veritatem excussit, quàm Scriptori, qui verosimilia tantùm intulit.

3 Obscurissimi, & uno passionis die memorati in Sicilia, ex Martyrologio Notkeri ad 3. Non. Junii, Expergentius, & Chresta. Ex Martyrologio Romano, Beda, & M.SS. Siculis ad 3. Non. Julii, Agatha, & Triphina. Ex M. SS. Ecclesiæ Syracusanæ, & Messanensis Martyrologiis ad 17. Kal. Julii, Nivitus, Candidus, Cantius, Cantianilla, Protus, Chrysogonus, Artheon, Quintinus, & Theodulus; quos tamen



(1) *l.7.Ep.29.* [2] *Disc.sup.Hist.Vit.SS.* (3) *20.Julii Hist.S.Marinæ.*

men M. S. Cephalædiense Martyrologium in Lucania statuit, quod contra Messanense,& Syracusanum obtinere nolumus; alii adhuc passionis loco insigniti.Ex Martyrologio Romano Vandalberti, Beda, Usuardo, Notkero,Adone, Breviario Gallicano, & Veteribus M.SS. ad 11. Kal.Julii:Syracusis Rufinus, & Martia . Ex Martyrologio Romano, & Tabulis Ecclesiæ Catanensis ad prid. Kal.Januarii, Catanæ Stephanus, Pontianus, Attalus, Fabianus, Cornelius, Sextus, Florus, Quintianus, Minervinus, Simplicianus . Ex Martyrologio Notkeri ad 8. Id. Julii, Tauromenii Sperus, Cornelianus, & alii 60.pro ut legere est apud celeberrimum P. Octavium Cajetanum in Vit. SS. Siculorum,& in Animadversionibus tomo 1. Pauciores, quorum certam, vel saltem controversam passionis Epocham habemus, latiùs expendendi.

4 Primam ab Ethnicis persecutionem ab anno Christi 64.,Nerone Cæsare,debacchantem scitè describit Encomiastes Syracusanus in Oratione S, Marciani (1). *Per id tempus* Neroniani scilicet dominatus *missa sunt in universum Orbem, ad evertendam, funditusque tollendam Christianam religionem, mandata, quibus omnis ætas, sexus,conditio, nulla discrimine, abominanda ipsorum Idola colere jubebatur, eisdemque velut Diis vota,& victimas offerre.Hinc iterum contaminabatur jam liquidus, & purus aer impuro oblatarum bostiarum fumo, & nidore; eos enim,qui jussa facere detrectarent, variis tormentis, & quæstionum generibus exercitos,mortis tandem supplicia plectendos decernebant &c.*Eam autem adhuc in Sicilia sævijsse, qua ex incolis Christi fidem profitentibus plurimi absumpti, testatur cum subdit, *Tum igitur, perlata in banc quoque Siculorum Insulam edicto nefario, parique rabie grassantibus Tyrannis in Christi gregem, quotquot Salvatorem nostrum Jesum Christum Deum, ac Regem universorum sui ipsius amori præferentes, in banc pietatis arenam descenderunt, & gloriosæ morti præsentem Vitam postposuerunt, ii nunc omnimodis virtutum insigniis redimiti, immortalem Victoriæ, ac triumphi omnium Regi Deo canunt hymnum, utpote cœlestia domicilia incolentes,cum Victoriæ largitore Martyrumque primiceria Unigenito Dei Filio.* Plures ergo habemus ex Siculis sub Neroniana persecutione Martyres, quorum nomina in libro Vitæ det tandem legere ille, qui scripsit.

5 Inter has Martyrum primitias excelluit Marcianus,quem meritò à Domitiani temporibus abduxit laudatus P. Cajetanus; cur enim Encomiastes in laudibus Marciani Neronianam persecutionem interseruerit, cui nihil cum Marciano commune? Pastor quidem bonus ille, solutis Idolorum Templis, copioso Fidelium grege ad Christi Ovile deducto, prodigiis gloriosus, Judæorum iram accendit, quorum opera, sive delatores fuerint, sive passionis administri, Martyrio coronatus est; ejusque certamen ad diem 30. Octobris in Menologiis consignatur. Quo mortis genere, incertum. Jambici quidem versus in Græcorum Menæis, suspendio innuunt, habent enim:*Qui Christum sustulere*,Judæi,*Christi famulum Marcianum laqueo præfocant*. Hinc vel depravata Acta Peregrini Martyris, qui dicitur discipulus Marciani

(1) *Ap. Cajet.in Isag.c.26.*

ni, Agrigenti flammis absumpti, vel Peregrinus ad tertium Sæculum amandandus, & discipulus dicendus alterius Marciani, qui potuerit Agrigenti incendium pati. Corpus Marciani Syracusis conditum, ubi vacuum ad præsens sepulcrum colitur; sub Saracenica quippe invasione Cajetam translatæ Reliquiæ (quidquid alii comminiscantur Patras in Achaja.) Undenam autem mandibula Syracusas advenerit, quæ usquenunc colitur; & brachium quod ex Ecclesia Syracusana Messanam transtulit Riccardus Archiepiscopus Sæculo 12. non satis compertum.

6 Non desunt, qui Marciano Martyrii gloriam denegandam suspicentur ex Actis M. SS. Syracusanis, & Cajetanis, ex quibus habetur Marcianum Judæorum insidiis circumventum, verberibus petitum, & incendiariæ navi impositum, ut vivus in aquis comburetur; sed divinitus resiliente flamma, conspiratores consumptos, & prodigii novitate ad Christum conversos Seleucum, & Gordianum Præfectos cum aliis 6000. Marcianum verò in Portu majori juxta Plemmyrium, ubi parva Insula etiamnunc S. Marciani nomine indigitata, incendium effugisse, & demum in pace obdormisse. Sed hos rejiciendos puto tum ex Encomiastis Syracusani testimonio: *Beatæ Martyrum Animæ, quæ cœleste Regnum consecutæ cum Prophetis, & Apostolorum choris exultant. Cum quibus, & Sanctus hic Confessor Marcianus, felici peracto certamine, cursu cōsummato, fide servata, holocausti bonus odor effectus est*; tum quia Oratorium sepulcro superextructum, quod solis Martyribus dabatur; unde apud antiquos Oratoria Martyrum, eorundem Martyria dicebantur.

7 Antiochenum Marcianum fuisse certum est, & à Petro Apostolo Antiochia Syracusas evangelizare missum. Hinc illud Encomiastis, quo Syracusas Marciani Patriam vocat, Animadversor in ejus orationem (1), ita emolsit: *Patria Martyris est, in qua per ferrum Cœlo natus; ut natalis dies ille, in quo cæsus est. Tertull. Scorp. c. 14. Tunc Paulus Civitatis Romanæ consequitur Nativitatem, cum illic Martyrii nascitur generositate.*

8 Libertinus primus Agrigentinorum Episcopus, & Peregrinus simul passi; ille quidem Agrigenti, hic in Monte Crotaleo, qui Urbi proximus in Actis asseritur, sed nomen hujusmodi hoc Sæculo ignotum. Peregrinus quidem Africanus, & inde Peregrini appellationem in Monasterio assecutus; quamvis P. Cajetanus Syracusanum affirmet, quia Marciani discipulus, quæ sanè nullius ponderis conjectura est. Libertinus autem undenam à D. Petro assumptus sit ad Agrigentinam Ecclesiam fundandam, si ita sentientibus fides, nō apparet. Acta eorū passos octava persecutione 3. Sæculi sub Decio Cæsare, Quintiano Consulari Siciliæ, & Sylvano Judice memorant. Sed Marcianus, cujus discipulus, & Vitæ Scriptor Peregrinus asseritur, primo Sæculo sedit; unde Cajetanus suspecta habet Acta, & Marciani Agrigenti flammis absumpti memoriam fabulosam. Fides sit apud ipsum. Libertinus Agrigenti in Æde Sancti Stephani orans lapidibus appetitus est, dein gladio transfixus, & antiquæ icones con-

 sen-

(1) 1. n. 17.

sentiunt; proinde Syracusanus Encomiastes, qui, pari mortis triumpho, sublatum refert eum S. Peregrino, more rhetorico explicandus, non de passionis genere, sed de Martyrii corona. Mox à Libertini nece Peregrinus in proximo Monte Crotaleo conquisitus, vivus combustus est. Sacrum Corpus in cineres solvi non potuit, hinc Domnina fœmina religiosa sepulturæ tradidit. Utriusque memoria 3. Non. Novembris recolitur.

9 Ampelum, & Cajum, quamvis plures cum Ferrario (1) passos putent sub Diocletiano, ad Neronem tamen Morabitus (2) refert, cui, non alia ratione (cum nullam proferat, nisi judicium) adhærendum puto, nisi quia Genticus Scriptor. Messanæ Martyrium subiisse Martyrologia (3), & M: SS. Siciliæ consignant; & diu apud Cives fama percrebuit, quod Sacra Corpora, vel in Templo D. Francisci in gremio Chori, sub quo ingens specus, vel in Ecclesia SS. Petri, & Pauli Patrum Ministrantium infirmis adhuc ignota jacerent. Ex quo autem, elapso Sæculo, Stephanus Marinus Dominicanus Brachium S. Caji, & Cranium S. Ampeli Roma Messanam detulit in Ecclesia sui Ordinis S. Dominici reponenda, non levis suspicio suborta, quod aliquando Romam translata fuerint Sacra pignora, non quod Messanæ comprehensi Cives, Romam ab inde deducti, ibi passi fuerint: nam, hoc dato, oportuerat Martyrologia, Patriam ubi colebantur, non passionis locum indicasse, quod quidem contra Ecclesiæ morem esse, testatur Gregorius supra citatus. Eorum Acta alibi Philippus Ferrarius (4) in Ecclesia Taurinensi servari asserit, alibi (5) non exstare fatetur, iis certè Sicilia caret.

10 In Vita S. Pancratii apud Cajetanum monumentum extat Mariæ, & Sejæ sororum, quæ in VirginumGynecæo Diaconissæ pro Christi Fide, & Virginitate tuenda sanguinem fudere, & Tauromenitanas fuisse verosimillimum. Cum enim Elidus Præfectus Sejam deperiret, eamque vi nulla, nec magicis artibus ab instituto avertere potuisset; primò Mariam, cujus suasu, sororem magis in sancto proposito confirmari noverat, capite minui imperat, dein Sejam. Gemina igitur Martyrii, & Virginitatis aureola insignitæ, in Cœlum evolarunt. Corpora à Pancratio, & Fidelibus in loco, qui dicebatur, Murus Varagdi, temporibus hisce ignotus, condita. Divina ultio, quæ carnifices, & conspiratores insecuta est, ac ad tumulum prodigia, celebriores reddidere. Superstitis Pancratii memoria non magis ad Neronis, quàm ad Domitiani tempora adducit, cum Sanctissimus Episcopus Trajanum viderit; sed quæ lux in illa temporum caligine?

11 Vix Neroniana persecutio, Nerone è vivis sublato, deferbuerat, cum secundam anno 92., & Imperii sui 11. suscitavit Domitianus, quæ diuturnior, & crudelior. Ex plurimis, quos in Sicilia passos credere est, paucorum superest memoria postHistoriæ clades, ac Sæculorum injurias; nempè

12 Beryllus Catanensis Episcopus, à D. Petro missus, Patria Antio


(1) *Catal. SS. Ital.* 20. *Nov.* (2) *ad ann.* 66. *Annal. Eccl. Mess.* (3) *Roman. Bedæ, Usuardi, Adonis.* (4) *in Topograph.* (5) *in Catal. SS. Ital.*

tiochenus, hac persecutione cecidisse refertur. Martyrologia quædam aridè ad Dominum migrasse consignant; unde dubium subortum, an Martyrio vitam expleverit. Romanum ad 7. Kal. Aprilis in pace quievisse habet, & Græcorum Menæa ad summam senectutem pervenisse; at numquid senes à Domitiani crudelitate securi? Menologium antiquissimum, quod è græco in latinum transtulit Cardinalis Sirletus, ejus mortem, Certaminis vocabulo, indicat, quæ Martyrum nota est, & ita communis opinio obtinuit, cui lubens adquiesco, cum antiquiora ex Mabillonio (1) regulariter in fide adstruenda meliora reputentur, & Pastores, persecutione in gregem grassante, diligentiùs conquisitos, & faciliùs absumptos legamus. Catanæ Corpus certè sepultum, locus huc usq; ignotus.

13 Syracusis Chrestus Marciano in Episcopatu, & Martyrio Successor, quem Cajetanus in Vita Syracusanum suspicatur. De eo quidem Philippus Ferrarius (2) in pace quievisse affirmat; sed longè verosimiliùs Martyrem occubuisse, tùm ratione eadem, tùm quia, apud Caietanum, Corpus ejus sub Altari conditum referatur, qui proprius Martyrum locus est, ex illo Cypriani (3) *Convenienter, & quasi pro quodam consortio, ibi Martyrum sepultura decreta est, ubi Mors Domini quotidie celebratur.*

14 Tauromenii Zenais, Æsia, & Susanna sub Domitiano probabiliùs passæ; quamvis P. Caietanus post Pancratium, in persecutione Trajani occubuisse dicat, eo ductus argumento, quod in Actis Pancratii, de aliis Virginibus mentio occurrat, quæ, eò superstite, Martyrio coronatæ; de his autem silentium, quod quidem cum inficiale sit, & nulla aliunde conjectura suffultum, communiotem sensum, quòd sub Domitiano passæ sint, non exsufflat. Zenais, certè, Virgo, & adeò prodigiis gloriosa, ut Thaumaturgæ nomen sit consecuta; Æsia, & Susanna, mulieres. Menæa ad 7. Idus Junii, ita habent. *Hac die S. Martyris Zenaidis Thaumaturgæ, Sanctarumque mulierum Æsiæ, & Susannæ discipularum Pancratii Tauromenii Episcopi commemoratio. Celebratur earum Solemnitas in sanctissimo ipsarum Martyrio*, nempe Oratorio passionis loco superextructo, *in agro Basilisci.*

15 Hinc scrupulus Morabito (4) suscitatus, an Tauromenitanæ fuerint, ut Cajetanus adstruit, quia Pancratii discipulæ, an potiùs Messanenses. Ex nominis quippe Basilisci, & Basiliei cognatione, facilè Transcriptoris lapsum suspicatur, & Basilicum agrum in Messanæ Urbis finibus fortè situm affirmat, ducto à Domino ipsius vocabulo; antiquam enim Basilicorum familiam, adhuc Ciceronis tempore, Messanæ floruisse deducit ex ejus verbis (5); *nam & ipsi patebat domus locupletissima, & amplissima C. Pompeji Basilici*; sed ego triplici hariolationi rei veritatem committere non ausim.



§. III.

(1) *Stud. Monast. p. 2. c. 12.* (2) *Martyrol. ad diem 3. Jul.* (3) *Ser. 73.* (4) *Annal. Eccl. Mess. ad an. 99.* (5) *in Verr. l. 4. orat. 9.*

## §. III.

## QUINAM SANCTITATE, ET DOCTRINA FLORUERINT IN SICILIA.

1 PRæter eos, quos Ecclesia Sicula, obstetricante Martyrio Cœlo peperit, plures certè pacificæ Confessionis gloria insignes protulisse indubium est, & horum adhuc nomina Ethnicas persecutiones, ac Barbarorum excursus obruisse. Superstes aliquorum memoria, vel Acta, quæ breviter perstringemus.

2 Peregrinus, natione Græcus, & fortè primus Triocalæ Episcopus ab Apostolis constitutus, memoratur a P. Octavio Cajetano miraculorum fama illustris, quorum duo monumenta superstant. Draconem in Triocalitana Sylva latentem, cui ex incolarum pueris quotidie unus forte in cibum delectus, baculo Peregrinus in foveam adegit, quæ repente obstructa. Hinc antiquæ Icones Peregrinum cum subacto serpente pinxerunt. Pia item fœmina eleemosynam roganti Peregrino, nil sibi promptum, quod offerret, indolens, ab amica commodatum panem exposcit, quæ nullum apud se extare mentita est; at duram mulieris conditionem, in lapidem verso, quem servabat, pane, divina ultio repressit. Nunc usque Calatabillottæ, cui Triocala decessit, Saxeus panis superstat. Caveã, unde pulsus Draco, Peregrinus subiit Anachoretam agens, Agnus in cubili Leonum. 3. Kal. Febr. in pace quievit, quo die colitur. Corpus, quæ terra teneat, ignota, & Animadversor in ejus vita apud Cajetanum (1), illorum errorem detegit, qui Peregrinum alterum, cujus ossa Lucæ coluntur, cum hoc confundunt, & Lucensem asserunt, non Græcum.

3 Bacchylus Messanensis Episcopus, fortè etiam Civis, cum mos Apostolo fuerit, ex recens conversæ ad Christum plebis indigenis Episcopum assumere, unde Atheniensibus Dionysium, Colossensibus Epaphram, Melitensibus Publium, &c. imposuit. Inter Sanctos recensetur; & sanè omnibus compertum, faustis illis primitivæ Ecclesiæ temporibus, Sanctitate celebres Viros ab Apostolis inauguratos. Morabito, qui Martyrium subiisse asserit, non assentior; siquidem ante excitatam à Nerone persecutionem, Paulum Romam rediisse verosimilius duxerim; hinc si in itinere, Messanam divertens, Bacchylo vita functo Barchyrium subrogavit, in pace quievisse oportuit.

4 Neophytus Tauromenitanæ Ecclesiæ Diaconus à P. Cajetano memoratur, quod, juvenilibus annis, cor gesserit senile, & in Templo orans obierit; ejus Anima in Columbæ specie in Cœlum evolasse refertur, diducto Sacræ Ædis tecto.

5 In Actis Pancratii Græcis Cryptæ Ferratæ Taurominenii refertur sepeliendis Martyribus dedita B. Paulina, Sacri Virginum Gynecæi Archidiaconissa: in funere quippe Mariæ Virginis, & Martyris habetur: *Pancratius advocans Diaconissas omnes, & fideles Christianos, peractis ritè funebribus exequiis, Beatæ* Mariæ *Corpus sepulturæ, quod B. Pau-*

(1) *n.* 1. (2) *Annal. Eccl. Mess. ad ann.* 68.

*Paulina involvit, laudibusque Deo persolutis, condiderunt.*

6 Doctrina, & Evangelicæ prædicationis gloria illustrem Xanthippum Philosophum Tauromenitanum ex iisdem Actis habemus, qui à Pancratio ad Christum traductus, fidei disseminandæ adjutorem se adjunxit. Et sanè mirum quod in iis legitur: *Noctie cùm oraret in Ecclesia Pancratius, corruerunt una cum Sacellis Idola, quod videntes Sacerdotes ad Sanctum venerunt, interrogantes: numquid ipse es Apollo? Ille verò ansam arripiens, Christum illis evangelizavit, imbecillitatem simul ostendens, & vanitatem Idolorum. Unus ergo ex eorum numero, nomine Xanthippus, silentium manu indicens populo, sic exorsus est. Viri Tauromenitæ, dicam vobis, nec celabo. Pauci sunt menses, cum ad me venit Vir quidam ore conspicuus, & librum porrigens, mihi dixit: accipe Xanthippe divinitus scriptum volumen, quod vim habet insitam, ut varios morbos sanet: atque hoc dicto, ex oculis sublatus est. Ego itaque in hoc libro animadverti homines quatuor, una prorsus voce loquentes, Christumque Veri Dei Filium celebrantes, quod quidem explanare nobis Beatus hic, opinor, potest. Porrò, & illud adiiciam, quod sileri non debet. Cum allatus esset domum meam liber, lux magna circumfulsit, ac statim ægri convaluerunt, ingensque ex eo nos omnes accepit timor.*

7 Visionem hanc nulla inverosimilitudine laborare agnovit P. Cajetanus (1); cum & paria in Actis Apostolorum accidisse legamus, Petro, Paulo, Centurioni Cornelio[2], nec ego fidem derogo, modò remaneat apud Authorem; prolixas enim hujusmodi Conciones, (quales, citatis locis) non legimus, & rara prodigia, stylum Metaphrasticum sapere, & suspicionem ingerere visa sunt Tillemontio, Baillerto, & modernioribus Criticis (3).

8 Floruere item sæculari doctrina adhuc ex Ethnicis Viri celeberrimi, quos referre, etsi extra Ecclesiasticæ Historiæ confinia trãsilire sit, non ideò tamen Siciliæ, quæ tulit, gloria silentio premenda, & potius instituti limites transgredi ausim, quàm, scriptionis rigore, insalutatos eos præterire, quos adhuc post sæcula, non sine laude, Eruditi quique memorant.

9 Inter primos, Diodorus Siculus, Agyrensis, quem Sigonius (4) cum alio Syracusano inaniter confundit. Claruit sub Augusto (5); an verò Christum viderit, incertum; quamvis Constantinus Lascaris (6) protrahat ad Tiberium. Scripsisse constat libros quadraginta Bibliothecæ Historicæ, quos omnes in Bibliotheca Constantinopolitani Imperatoris testatur se vidisse citatus Lascaris. Qui nobis supersunt publici juris quindecim, & intercisi, adeò celebres, ut cæterorum jacturam acerbè indoleant Eruditi. Diodorum citant cum laude Eusebius [7], Photius (8), & passim Historici; Justinus verò Martyr (9) Historicum Illustrissimum appellat.

10 Apulejus Celsus Centuripinus, Medicus, præsertim in canum rabie medenda illustris. Vixisse sub Tibe-

(1) *Isag. c. 17.* (2) *c. 8. v. 10. & 16.* [3] *ap. Honor. à S. M. diss. 4. p. 2. art. 2. n. 6.* (4) *Ind. de Hist. qui res Rom. scrips. n. 4.* [5] *ex Suid. tom. 1. & Volaterr. auth. t. l. 15.* (6) *apud Maurolyc. l. 1. Hist. Sic.* [7] *in Chron. Olymp. 182.* (8) *in Bibl. cod. 70.* [9] *Cohort. ad Græc. sive Gentil.*

Tiberio testatur Morerius (1), & alii. Plura medica scripsit; librum tamen de Herbis, perperam aliqui Apulejo Madaurensi Philosopho Platonico tribuunt cum Morerio citato, & Coronello [2]. Nasutis Sæculi nostri Criticis olere stylum temporum Augusti, & Tiberii visum est, non autem Philosophi Platonici.

11 Lupus Siculus (sive idem cum Lyco sit, sive diversus), & ex Fazelio, Messanensis, inter celebriores Poetas recensendus; Latinos sanè, non Græcos. Coævus, & compar Ovidio visus est Vossio [3], floruit usque ad Olympiadem 199., & annum 20. post natum Christum.

12 Sextus Julius Frontinus, vir triplici laurea dignus, Juris consultus, Militaris, & Consularis. Siculum fuisse affirmat P. Caietanus [4], & ex Jo: Alberto Fabritio [5]. Codex ejus M.S. apud Franciscum Nacesium inscribitur: Frontinus Siculus; quamvis non desint, qui Opus, & Authorem cavillentur, quos inter Mandosius (6) Romanum propugnat. Claruisse sub Nerva, & Trajano, adeoque ad calcem Sæculi habemus, & Plinio secundo (7). Ejus Opera Mathematica, Tactica, de Re militari, de Aquæductibus, de Limitibus, de Aquis, & alia celebrant Mathefeos Professores passim, & novissimè P. Chales [8], ejus cum laude meminit Lipsius (9), & communiter Eruditi.

13 Flaccus Siculus celeber Jurisconsultus, cujus summam Jurisprudentiæ laudat Fontana (10), & Agrimensor insignis. Epitomatorem operis de conditionibus agrorum colligit Barthius (11) Christianum esse, Goesius verò apud Fabritium (12) non annuit; quamvis nihil proferat, unde Ethnicum evincat. Adhuc in fine Sæculi floruisse colligit apud citatum Fabritium Rigaltius (13); Domitiani enim, & Nervæ in suis operibus meminit.

14 Titus Julius Calphurnius, Siculus ex Vossio [14], quod, & ex ejus operum editionibus, constat, & pressiùs Jacobus Hadrianus (15) Panhormitanum asserit. Ejus ætas incerta; Sæculo tamen primo styli puritate addicendus; quippe aliqui apud Robertum Titium (16) sub Octaviano, vel Germanico vixisse referunt; Jo: verò Ravisius [17], & alii sub Domitiano; quamvis non desint, qui temporibus Chari, Charini, & Numeriani [18], imò Diocletiani, & Constantii (19) floruisse velint. Inter Poetas Bucolicos adeò insignis, ut quidam Virgilio anteferant: alii secundum ab eo locum assignent; communiter tamen Eruditis receptum, nullam ejus opera à Bucolicis Maronis nebulam pati. Eclogæ ejus plures excusæ, & copiosis Eruditorum notis illustratæ. Celebratur à Thoma Dempstero (20), qui tersissimi, & elegantissimi appellationem meritum narrat.

15 Cæ-

(1) *in dict. t. 1.* (2) *Bibl. t. 4. n. 823.* (3) *de Poet. latin. c. 2.* (4) *Isag. c. 42. n. 7.* [5] *Bibl. lat.* (6) *Bibl. Rom. vol. 2. cent. 10. n. 37.* (7) *In Epist.* (8) *tom. 1. Curs. Math. orat. proem.* (9) *de magnit. Rom. l. 1. c. 2.* [10] *Bibl. Legal.* (11) *l. 29. c. 5. adversar.* [12] *Append. 1. Bibl. Lat.* (13) *observ. e gloss. ad auctor. l. rei agror.* [14] *de Poet. lat. c. 4.* (15) *de Vall. Maz.* (16) *in Eclog. l. 2. Calphurnii.* [17] *in offic. tit. 2. de Poet.* (18) *Gyrald. de Poet. Hist. Dial. 4* [19] *Pet. Crin. de Poet. Lat. l. 5.* [20] *Supplem. ad Antiq. Rom. Rossini l. 3. c. 31*

15 Cæcilius Calactinus inter priscos primi subsellii Græcos Poetas obtinet, Siculus ex Calacta antiqua Urbe in Septentrionali Siciliæ littore, apud Causabonum (1); quamvis Jacobus Delechampius Atticum affirmet, fortè ex lepore, & græcæ phrasis peritia. Judæum fuisse religione refert Vossius (2): at mirari non destitit cum Svida, quòd Hebræus tantam græci sermonis peritiam sit consecutus. Sibi familiarem testatur Dionysius Halicarnassæus (3). Auditorem in Rhetorica disciplina, in qua celeberrimus, & operibus famosus, habuisse fertur Hadrianum; sed cum sub Augusto floruerit, & usque ad Hadriani adolescentiam satis prolixæ fuisse videatur ætatis, suspicio suborta Vossio, quod duo extiterint Cæcilii Siculi: Calactinus unus ex Calacta, littorali Siciliæ loco; Calatinus alter ex Galati, Mediterraneo Insulæ Oppido; quidquid veritas ferat, unicus ad Siciliæ gloriam satis.

16 Alios fortassis, quos inter Siculos Scriptores incertæ ætatis Eruditi reponunt, primum Sæculum tulit, quos consultò omittimus; iis enim, qui Siculorum ingenium norunt, indubium est, omni ævo insignibus doctrina Viris semper fœtam Siciliam, nunquam effœtam extitisse.

(1) *Animad. ad Athen. l. 6. c. 21.* (2) *Hist. Græc. l. 2. c. 4.* [3] *Ep. ad C. Pomp.*

## §. IV.

## ECCLESIASTICÆ POLITIÆ ORDO.

1 PRimo Christianæ Æræ Sæculo, nonnisi à Petro Apostolo Episcopos in Sicilia inauguratos habemus recèns quippe plebi ad Christum conversæ Christi Vicarium de Pastore providere constitutum, quod, & adhuc octavo Sæculo obtinuisse docet Natalis Alexander (1). Civitates autem ex Siculorum qualicumque traditione tunc Episcopali dignitate insignitæ, Syracusæ, Tauromenium, Agrigentum, Panhormus, Triocala, Messana, Catana. Quo autem fundamento, & an solido, Dissertatione sequenti expendendum. Sedisse ferunt Syracusis Marcianum, Tauromenii Pancratium, Agrigenti Libertinum, Panhormi Philippum, aut innominatum quendam, Catanæ Beryllum, Triocalæ Peregrinum, Messanæ Bacchylum, & Barchyrium, quos à D. Paulo successivè institutos, à D. Petro consecratos nuncupare fas est; si ea phrasi utamur, qua Innocentius I. Pont. ad Decentium scripsit, neminem Apostolorũ præter Petrum, Hispanias, & alias Occidẽtis regiones Evangelica Doctrina imbuisse; non ex hoc enim denegata Paulo gloria peragrati Occidentis, & tot Provinciarum Occidui Orbis traditiones expungendæ; *nam*, ut ait Alexander citatus (2), *ideo solius Petri meminit Innocentius, quia primæ Sedis Episcopus esset, cui cæteræ Ecclesiæ unitatis*



(1) *Sæc. 8. c. 5. art. 2.* (2) *Sæc. 1. diss. 17.*

*tis Catholicæ vinculo, ut Matrici, compaginantur.*

2 Ex his omnibus extra suspicionis aleam Viri Eruditi arbitrantur eos, quos Martyrologia, & Menæa ab Apostolis missos consignant. Hi Beryllus, Pancratius, Marcianus, Bacchylus. Tanti hæc quippe ponderis apud ipsos [1], ut pro adstruendo Martialis in Gallias ab Apostolis missi, adventu, hæc legi satis existiment: *Lemovicis Sancti Martialis Episcopi, qui Romæ à Petro Apostolo ordinatus, primus illius Urbis destinatus est Episcopus.* Et: *in Gallia, Civitate Lemovica, depositio Martialis Episcopi, qui à B. Petro Apostolo ordinatus &c.* Cæteros Authorum fides firmat.

3 Authoribus ego quidem Siculis fidem absit ut derogem; sed unum displicet in sequentibus, quod aliqui adeò Patriæ, vel aliunde susceptæ in clientelam Civitatis studio aguntur, ut quoties successorem Episcopo, quem primò traditio tulit, in promptu non habent, susq; deque omnia misceant, & distorqueant, ut intrudant; cum tamen difficillimis illis Ecclesiæ temporibus frequentia fuerint Interpontificia, & persecutionibus ingravescentibus vero simillimum sit, post institutos ab Apostolis, interruptam Episcoporum successionē. Satiùs ergo foret lacunas inoppletas relinquere, sive ex Pastorum deficientia, sive ex Scriptorum inopia, sive ex deperditis sub Ethnicis Imperatoribus Actis, quàm effictos ineptè comminisci, & testimonia, quo nunquam fiet, ut perveniant, distrahere, & luxare. Quis pudor unquam suffudit Ecclesiam Rhemensem, in qua ex Flodoardo (2), post Sixtum, & Sinicium discipulos Petri, ad tempora usque Constantini Magni, per tria ferme Sæcula unus, quem sciant, sedit Episcopus, Amantius? Quis rubor Ecclesiæ Turonensis, quæ à temporibus Decii, ut refert suus Gregorius (3), ad primum Constantis Imperatoris annū, Episcopum, qui sederit, non agnoscit, &, diuturno temporis tractu, Præsule, quem noverit, caret? Quis Ecclesiam Parisiensem floccipendit, quia in suis Diptycis à Dionysio ad Victorinum, qui Synodo Agrippinensi interfuit, anno 346. nonnisi sex Episcopos recenset? Legatur laudatus Alexander (4).

4 An aliquis, & quis, inter hos Episcopos Primas, qui eo tunc supra cæteros dignitate excelleret, aut jus diceret, Siculi acriter, de more, disceptant. In celebri hoc dissidio id unum compertum, quod primis Ecclesiæ Sæculis nudum dumtaxat Episcopi nomen à quibuscumque sedissent usurparetur. Nullus tunc Archiepiscopus 5 & septimo adhuc Sæculo vocabulum hujusmodi in Occidente inauditum (5). Hinc satis valida ratio Philippum Diaconum Panhormitanum à primo Sæculo ablegandi, quod in Actis ordinatus dicatur ab Archiepiscopo Panhormitano. Recentium titulorum in antiquis usus, solida conjectura suppositionis Baronio est (6), cui commentitia Epistola Gregorii ad Marinianum Episcopum Ravennatem de privilegiis illius Ecclesiæ: *Quid ibi nomen Marchio temporibus istis inauditum?* Et alibi ipsemet ad rem nostram

(1) *ap. Natal. Alex. Sæc. 1. diss. 16.* (2) *l. 1. c. 5.* (3) *l. 10. c. 30.* (4) *Sæc. 1. diss. 16.* (5) *PP. Congr. S. Mauri in not. ad Epist. D. Greg. Epist. 1. lit. C. l. 1. ad univ. Sic. Ep. f. 486. & l. 8. Ind. 1. Epist. 5. lit. D. f. 898.* (6) *an. 595. n. 81.*

ſtram (1), ſubdititia reputat Acta Quini-ſextæ Synodi, ut expendit Eruditiſſimus Albertus Piccolus [2], quia Cyprianus Carthaginenſis Archiepiſcopus appelletur, inuſitato apud Occidentales vocabulo. Sed de hoc infra; Scopulum nanque oppoſitæ opinionis Patroni declinant, vitio modernioris Auctoris Scriptoris vertentes, quòd fortaſſis, titulo ſua ætate uſitato, Præſulem Panhormitanum appellarit. Item nec quiſquam tunc dictus Primas, Metropolita, Patriarcha.

5 In re tamen Politiam hanc alicubi viguiſſe ſine titulorum faſtu non ambigendum. Adhuc enim pura Epiſcopi appellatione contenta Eccleſia Romana, Antiochena, Alexandrina Patriarchali dignitate fulgebat, cæteris eminentior; quamvis poſt Nicænum, & circa tempora Concilii Chalcedonenſis Patriarchæ nomen invaluerit ex Valeſio (3), apud laudatum Alexandrum, qui alibi Metropoliticam dignitatem revera ab Apoſtolis,cum primas Eccleſias in Provinciarum Metropolibus conſtituerent,originem duxiſſe fatetur (4).

6 Omnes igitur ſupra recenſitos in Sicilia Archiepiſcopos fuiſſe innuit Pirrus (5), utpote Eccleſiis ab Apoſtolis conſtitutis præfectos, ex illo Ruperti (6), *Qui autem ab eis*, nempe Petro, cæteriſque Apoſtolis,*per Provincias miſſi ſunt , tam ipſi, quàm ſucceſſores eorum Archiepiſcopi vocantur*. Sed hoc certè litem evellere,non dirimere eſt.Non enim ex hoc unus præ alio habet in quo glorietur, & in eodem ordine Eccleſiæ conſtitutæ,Præſulum contentionem præripiunt: *Quiſnam eorum videretur eſſe major*.

7 Metropolitam, & inter hos maximum, ſeu Primatem fuiſſe Syracuſanum contendit P. Cajetanus (7).Hoc abundè ſe probaſſe arbitratur ex Oratione græca Eneomiaſtis Syracuſani, in qua de Marciano protulit : *O gregis Rector Primarie*;& ex illo Joſephi Hymnographi: *Tibi Marciano , ut Myſtæ hanc Siculam Inſulam concredidit , eam tu Provinciam ſuſcepiſti*.Verùm, an Rectorem Primarium vocarit Eneomiaſtes Marcianum,ideſt Preſbyterum primi ordinis , quales nunc Epiſcopi ad differentiam Presbyterorum ſecundi ordinis, quales nunc ſimplices Sacerdotes, vel Curatæ Eccleſiæ Rectores,prout eruditè, eo tempore, diſtinctum refert Natalis Alexander [8],an verò Primarium dixerit inter Epiſcopos, Cajetanus unde hauriat , non habet : Iterum , an Provinciam ſuſcipere phraſis traductoris ſit, qua explicet munus acceptaſſe, an totius Inſulæ præpoſituram indicet, nemo divinet, qui unius litteræ, majoris, vel minoris formæ Characterem expendere indignam Hiſtorico ineptiam execretur.

8 Et quidem ſi locutionibus hujuſcemodi nimis fidamus, Eccleſiæ Tauromenitanæ Primatum non erit,qui deneget;cum & in Pancratii laudem Gregorius Byzantinus (9) eructarit: *Tu primæ ſedis delectus Antiſtes*. Inſuper uni Siciliæ cedent Gallia , Hiſpania , & quotquot in Occidua Orbis plaga regiones conſiſtunt, cum in Mar-



(1) *an.692.n.18*.(2) *1.p.c.23*. (3) *Sæc.4.c.5.art.1. & diſſ.26.* (4) *ibid.art.5.* (5) *Not.1.Eccl.Pan.*[6] *tom.2.de Div.Off.c.20.*(7) *Iſagog.c.37.*(8) *Sæc.4. diſſ.un.* (9) *in Vit.ap.P.Cajet.*

Marciani Ode legatur *Te primam Stellam Occidenti dedit*. Animadversor, quò duram nimis Eruditorum auribus phrasim emolliret, eam glossam intulit, quòd *Primus* non dicatur inter quotquot in Occidentem migrarunt, sed inter eos, quos Petrus transmisit: At subtilis hæc interpretatio, nec Siciliæ universæ Primatum evincit, cum Messanenses non à Petro transmissum; sed ante missos à Petro discipulos, Episcopum à Paulo constitutum obtendant. Hinc primus erit Syracusis Marcianus, quo modo primus Catanæ Beryllus, Tauromenio Pancratius. Glossam autem, qua temperet illud Iosephi Hymnographi, *Omnes Occidentis regiones è tenebris ad lumen traduxisti*, quo innuitur non Siciliæ solius, sed semi-orbis Apostolus Marcianus, non video. Sanè non in Occidua, sed in Orientali Siciliæ regione, in qua Syracusæ, prædicavit.

9 Panegyricis porrò hisce loquendi formulis rhetoricam laudem, non historicam fidem conciliant Riccardus Simon (1), & Tillemontius (2), nec nimis fidendū docent; & minùs veritati indagandæ potis sunt græca Ode, & Iosephi Hymnographi Cantica; poeticæ quippe licentiæ frequens usus, vel metri necessitas Historicis illudit. Ita Eruditus Baillet (3) legendam esse monet S. Felicis Martyris Vitam à S. Paulino more poetico adornatam, Poemata Prudentii in Vita S. Laurentii, & S. Eulaliæ Emeritensis; & ejusdem hymnos in Vita S. Hippolyti Romani Presbyteri, Agnetis, Vincentii Diaconi, &c.; non quia fide haud digni Authores, aliunde probi; sed quia scriptionis genus ad fidem Historiæ conciliandam impar. Similiter laudibus hujuscemodi supra verosimile claram Ecclesiam Ravennatensem in subdititia Epistola Gregorii ad Marinianum perstringit Baronius citatus: *sed & quid Ravennatem Ecclesiam primam filiam Romanæ Ecclesiæ vocat Author? quot sunt Ecclesiæ à Petro ante Ravennatem erectæ? nec puto dicere, quod quò ad dignitatem; nam nemo negarit Alexandrinam, & Antiochenam peculiares Petri Ecclesias longè Ravennati præstare*. Hæc in antecessum ex Baronio dicta, ne illud Leonis X. Romani Pontificis obiiciat Cajetanus (4): *Cum, sicut accepimus, Syracusana Ecclesia, quæ secunda post Antiochenam Christo dicata asseritur*.

10 Invidiosum dein argumentum P. Cajetanus (5) obtrudit ex nobilitate, magnificentia, & prærogativis Syracusanæ Urbis deductū, & Metropolitico jure sæcularis politiæ, quo tunc Syracusas excelluisse vult: quales sub Marciani adventu Syracusæ fuerint, non omnes conveniunt (6): quidquid extiterint, hoc sanè novi belli aleam jacere est, non excitatam contentionem justo judicio compescendam intendere. Quænam ex primariis Insulæ Urbibus Genticos Scriptores non habet, qui rem suam eruditè cæteris præferant, Civilis Metropoleos privilegia vindicent ex antiquis Authoribus, quibus eadem debetur reverentia? Turbas has excitare Ecclesiastici Historiographi suscepta provincia non est.

11 Sed

(1) *Hist. Crit. N. T. c. 4.* [2] *Not. 3. sup. S. Barnab.* (3) *Tab. Crit. 14. Jan. 10. Aug. & 20. Dec.* (4) *Isagog. c. 37.* [5] *c. 16.* (6) *Morab. Annal. Eccles. Mess. S. 8. tit. 1. ex Strab.*

11 Sed quæcumque ſit, aut ſub id temporis fuerit Sæcularis in Sicilia Metropolis, ſatis efficax inde argumentum pro Eccleſiæ Primatu deſumi poſſe non cenſeo. Scio quidem apud Authores invaluiſſe, quod ſuæ prędicationis munus primùm obierint Apoſtoli in primariis Provinciarum Civitatibus: ita Cornelius à Lapide (1): *Paulus in Græcia prædicavit Epheſiis, Corinthiis, Philippenſibus, eoſque ad Chriſti fidem vocavit potiùs quàm Megarenſes, Thebanos, Lacedæmones. Cauſa videtur eſſe, quia Epheſus, Corinthus, Philippi primariæ erant Vrbes, eaque ætate florentiſſimæ tùm opibus, tùm copia hominum. Itaque eò ſe contulit Paulus, quia majorem in eis ſpectabat meſſem &c.* Et pro cunctis Baronius [2] *Maiores enim in inſtituendis Sedibus Eccleſiarum, non aliam iniiſſe rationem, quàm ſecundùm Provinciarum diviſionem & prærogativas à Romanis ante ſtabilitas, quamplurima ſunt exempla: ſed ſatis modò erit unum, vel alterum huc in præſentiorum afferre; ac inprimis illud haud longè petitum de Sede Antiochena, quæ quantumlibet à Petro ante Alexandrinam fuerit inſtituta, tamen quoniam Præfectura Alexandrina Auguſtalis dicta, ab Auguſto eo nomine inſignita, magnificentiſſimè præ cæteris ab eodem fuerit nobilitata, longè præſtabat Syriæ Præfecturæ; ea de cauſa factum apparet, ut quamvis Sedes Antiochena ante Alexandrinam à Marco, nomine Petri, erectam fuerit inſtituta, tamen illi poſtpoſita habeatur.*

12 Sed hoc ad rem ſuam ſatis conducens, ad rem noſtram nihili pendo. Ita quidem in Aſia factum, ubi Apoſtoli ſponte ſua, ex delectu, nullave neceſſitate ducti, potiùs hìc, quàm alibi evangelizare poterant, & concreditum verbum diſſeminare. At quomodo hoc obtineat in Inſula, ubi mittendi Diſcipuli, prout navium occaſio ferebat? Syracuſana, & Tauromenitana navis in portu Antiocheno præſto fuere, cum Petrus de mittendo Marciano, & Pancratio cogitaret: quid ſi Lilybætanam, vel Drepanenſem fors obtuliſſet? Putaſne juſſurum Marciano Petrum, ut mox ac Lilybæum tenuiſſet, rectà Syracuſas iret? aut Pancratio, ut Drepanum appellens, mox, primo hoſpite inſalutato, Tauromenium contenderet? nec Meſſanenſes in hoc excipio. Viciniores Rhegio Paulum, ut ferunt, vocavere; quid ſi vocaſſent Mylenſes, aut Tauromenitani? quis facilè credat Paulum excuſationem texere debuiſſe, quòd Meſſanam nobiliorem Urbem ſe priùs inviſere oporteret, & evangelizare?

13 Quod de Urbis ſplendore Cajetanus ſubdit, riſerat, ævo ſuo intentatum Gelaſius Papa (3) *Riſimus autem, quod prærogativam volunt Acacio comparari, quia Epiſcopus fuerit regiæ Civitatis.* Miratur etiam Baronius (4) quaſi de re priſcis temporibus inaudita: *Vbinam gentium quæſo, prærogativa Sedium pulcritudine, vel amplitudine, vel dignitate Civitatum à Majoribus reperitur eſſe ſancita, & non potiùs ex Apoſtolorum ſucceſſione, unde & ipſæ ſunt Apoſtolicæ nominatæ, & præ cæteris à Patribus exaltatæ reperiantur?* Hæc de jure: quid autem ſentiendum in facto collige ex Strabone (5) apud Morabitum laudatum.

14 Pirrus (6) uni Panhormo ſtu-

(1) *in Ep. ad Epheſ.* (2) *ad an. 39. n. 10.* [3] *Ep. ad Dard.* [4] *an. 451. n. 133.* [5] *l. 6.* (6) *Not. 1. Eccleſ. Pan.*

ſtudens, bipartitam ſub Romanorum Imperio in duas Provincias Siciliam comminiſcitur, Syracuſanam unam, Lilybætanam alteram; hinc modò Panhormitanus Epiſcopus Primatum ſuum teneat, an alio Syracuſanus fruatur, non nimis diſputat. Partitionem hanc, eo ævo, Siciliæ in duas Provincias ex Ciceronis verbis deducit in Verrinis: *Quæſtores utriuſque Provinciæ*: Sed cum hoc Sæcularia concernat, ſequenti §. expungemus, ubi primo Chriſti Sæculo, & ſub Romanis Siciliam unicam perpetuò Provinciam oſtendemus.

15 Ego ſanè, primo illo Sæculo, in Sicula Eccleſia nec Primatus dignitatem, imò nec Diœceſeon partitionem, quo pacto nunc obtinet, ſuſpicor. Quis ſibi ſuadeat Sanctiſſimos Præſules id primò plebem docuiſſe, ut quis diceret: *Ego quidem Pauli, ego Cephæ, ego Apollo*? Quis credet ſub Ethnicæ religionis principatu puſillum gregem electorum à quovis ad paſcua duci noluiſſe, ut ex omni populo unum fieret ovile Chriſti; ſatiùs arbitratos incultum deſeri Evangelicæ prædicationis agrum, quàm aliena manu ſementem ſpargi? Duplex ab Eccleſia Sicula conſtituta ad Sæculi finem ſæviit perſecutio, Neronis, & Domitiani. His præſertim abſumti, verbi P ræcones. Num exprobandi, qui, ubicunque opportunitas ferret, extirparent Zizania, & Fidei grana diſſeminarent? Animadverſor apud Caietanum in Pancratio (1), inde Acta græca ab interpolatore quodam depravata arguit, quòd mentionem iniiciat Epiſtolæ Marciani ad Pancratium, qua expoſtulabat Epaphroditum Tauromenitanæ Eccleſiæ Diaconum intra fines Syracuſanæ Diœceſeos prædicaſſe, & primò Templum erexiſſe. Quippe eo tunc hanc Diœceſeon partitionem evangelizantibus ſuſpectam habet; quin & tertio Sæculo ſub Valeriano adducit ex Surio [2], Benignum Presbyterum cum multis fratribus Divionem in Gallia à Polycarpo prædicare miſſum. Id confirmat ex verbis Ambroſii: *Poſtquam, omnibus locis Eccleſiæ ſunt conſtitutæ, & officia ordinata, aliter conſtituta eſt res, quàm cœperat. Primò enim omnes docebant, & omnes baptizabant..... ut ergo creſceret plebs, & multiplicaretur, omnibus inter initia conceſſum eſt evangelizare, & baptizare, & Scripturas explanare; at ubi omnia loca circumplexa eſt Eccleſia, conventicula conſtituta ſunt, & Rectores, & cætera officia in Eccleſia ſunt ordinata.*

16 Primo igitur Sæculo veroſimilius reputo, locum litem hanc non habere; cum miſſi, quocumque occaſio ferebat, diſcipuli, quibus cor unum, & anima una in Domino, quocunque potuiſſent, ſe intrudebant, uni verbo ſtudentes. Nullus igitur inter Epiſcopos in Sicilia dignitate Primus: an autem temporis prioritate, ſeſſione, & prædicationis gloria, ſpeciali diſſertatione, ubi pro Meſſanenſi ſuffragium feremus, diſquitendum.



§. V.

(1) n.14. (2) 1. Novemb. (3) in c.4. ad Epheſ.

## §. V.

## SÆCULARIS IMPERII ANALECTA.

1 Quinam Gentium primò Siciliam incoluerint, si mythici temporis fabulas spectemus, Gigantes, Cyclopes, Læstrigones. Tempore Historico, antiquissima Sicanorum memoria. An advenæ, & ex his novam Sicilia appellationem consecuta; an indigenæ, quibus ab Insula, quæ Sicania, nomen, diffident Authores in eo concordes, quod non unius tunc Imperii juribus subderetur. Id etiam obtinuit, eum novi in dies Coloni membratim Insulam occupassent, Græci, Phœnices, Trojani, Siculi, Messenii, Mamertini &c. Patria, & lata mundi area, in qua serviebant relicta, ut exotico dominatu præessent in angulo. Tunc autem proprio quique jure utebantur Reipublicæ specie, vel tyrannico Imperio.

2 Qui demum penè bifariam discerpsere, latiori, & diuturniori principatu, Pœni, & Romani. Hi à frequentibus æquè, ac invicem diffidentibus Insulæ Regulis ad suppetias invocati, passim ex Adjutoribus Domini effecti. In Sicilia prima Belli Punici, quod toties, & tam diutius exarsit, scintilla. Excussis denique Carthaginensibus, in unum Corpus Insula universa, & unius Politiæ regimine coaluit, & Regnum in Romani Imperii Provinciam declinavit; quamvis, quia non tota simul Reipublicæ jugo submissa, sed priùs in parte Lilybætana, dein Syracusana, nudo adquisitionis ordine inspecto, duplex, Provinciæ Veteris, & Provinciæ novæ, nomen admiserit.

3 Qualis ab initio Sicula Provincia fuerit, Prætoria ne, Consularis, Proconsularis, Quæstoria &c. non est hujus loci accuratiùs disquirere. Certè sub Christi aduentu, & Octaviano tunc imperante, Proconsularis, ad Constantinum Magnum usque, qui inConsularem evexit. Cum enim Augustus Cæsar rerum potitus Militares Provincias sibi reservasset, pacatas verò Senatui, Populoque regendas dimisisset, Consulares duas, Prætorias decem constituit; inter quas Sicilia recensetur eo privilegio, ut qui ad eam moderandam mitterentur, quamvis ex ordine Prætorio delecti, Proconsulares appellarentur; inde Sicilia Proconsularis. Id Testatur Dio Nicæus, (1) & Lapides quamplures in Sicilia, & in Italia reperti, aut superstites, in quibus Provinciæ Siciliæ Proconsulares inscripti, quos videre est apud P. Cajetanum (2).

4 In hoc stadio acriter decertant quotquot ex Siculis Ecclesiasticam Historiam scripsere, una ne, an duplex Provincia Sicilia fuerit? ut unam inde, aut duas Ecclesias Metropolitico Jure insignitas adstruant, cum in unaquaque Provincia unus Metropolita juxta Canonicas sanctiones reponendus sit.

5 Et quidem duplicem Provinciæ

(1) *l.53.* (2) *in Isagog.c.43.*

ciæ appellationem, ut diximus, in Sicilia nemo neget, Veteris, & Novæ. Id discutiendum, an duplex Proconsularis fuerit, quæ vera Provincia est, & intentum disceptantium evincit, an duplex tantum Quæstoria, quæ impropriè talis, & ad propositum nil sanè confert. Duas ego in Sicilia Quæstorias Provincias lubens agnosco, tum ex textu Ciceronis alibi adducto (1) *Quæstores utriusque Provinciæ*; tum clariùs ex Guido Panciroło (2) *Vigente Republica, duo Quæstores, unus Lilybætonus, alter Syracusanus ejus Insulæ tributa exigebant.* Sed eas nimis impropriè Provincias nuncupari docet Marcellus (3): *Scio & alia Provinciarum divisionis membra enumerari à modernis, ut à Vuolphaugo Latio l. 2. c. 3., qui eo loco de Quæstoriis Provinciis pertractat, quæ tamen impropriè ita appellatæ sunt; nam Quæstoribus nullæ Provinciæ ordinariæ assignabantur, sed Quæstores cum Proconsulibus, & Prætoribus in Provincias proficiscebantur, quibus exactio tributorum, & publicæ pecuniæ cura demandabatur.* Ita & Cicero in Verrem actione 4. scribit, *Quæstores utriusque Provinciæ, qui, isto Prætore, fuerant, cum fascibus mihi præsto fuere. At certè fasces Quæstores non habebant, uti Quæstores, sed uti cum Imperio, Prætoris loco, Provinciam regentes, siquidem jam dudum Verres decesserat è Provincia &c.* Sicilia ergo una Provincia Proconsularis, quia unius parebat Prætoris imperio; duplex verò Quæstoria, quia duos Quæstores habebat ad tributa exigenda, & aliquando quatuor habuisse legimus in Cicerone (4); *Qui cum à Prætore probiberentur, à quatuor Quæstoribus impedirentur*; si ergo Quæsturarum numerus Provincias dispesceret, quatuor tunc fuisse in Sicilia Provincias oportuerat, quod omnibus inauditum.

6 Cur igitur in illud Ciceronis: *Quæstores utriusque Provinciæ*, nervos intendant Siculi Scriptores, plenè non capio; cum ex inde duos Metropolitas educere nullatenus valeant. Unus certè Metropolitanus in una Provincia, in Metropoli Civitate, ut ubi Sæcularis Imperii per Provinciam universam ab uno Prætore jus diceretur, ibidem Ecclesiastici obtinerent. Id expressit Pelagius II. (5) *Scitote certam Provinciam eam esse, quæ habet decem, vel undecim Civitates, & unum Regem, & totidem minores Potestates sub se, & unum Episcopum, aliosque Suffraganeos decem, vel undecim Episcopos judices, ad quorum judicium omnes causæ Episcoporum, & reliquorum Sacerdotum, ac Civitatum deferantur.* Si ergo unus in Sicilia Prætor, seu Proconsularis jus dicebat, quamvis duo Quæstores tributa exigerent, ut clarè Sigonius: (6) *Provincia nulla fuit, quæ non Romanum Prætorem, ac Quæstorem babuerit, illum, qui vectigalia procuraret*; jam unica Sicilia Provincia erat, quantùm ad unius Metropoliticæ dignitatis jus adstruendum requiritur; nec nisi duplex Proconsularis, vel Prætoria fuisse probetur (quod nemo nisi irridendus tentarit), duos Metropolitas constituere possumus. Legendus Morabitus (7), qui rem hanc eruditè expendit.

7 Sub Christi igitur Domini ortu, quadragesimum Romani Imperii annum Cæsar Augustus agebat,

(1) *act. 2. in Ver. or. 7.* (2) *in not. Imp. 311. c. 53. de Conf. Sic.* (3) *Sch. in lat. Scr. in Svet. Tr.* (4) *in Div.* (5) *Cã. Scit. 6. q. 3.* [6] *de ant. ju. pr. c. 1.* (7) *tit. 15. §. 2.*

bat, quem ad Æræ Christianæ quintumdecimum protraxit. Post ipsum ad trigesimumseptimum Tiberius, cui successor Caius Caligula. Hunc Orientalem Siciliæ oram lustrasse habemus ex Svetonio (1). *Peregrè spectacula in Sicilia, Syracusis basticos ludos edidisse, earumque vetustate collapsa mœnia, Deorumque Ædes refecisse*. Quæ de Sicilia volitabant miranda actioris, quàm par esset, Criterii, Cæsar subsannavit. Unus Ætna risum excussit, & præcipitem in fugam egit: *Peregrinatione quidem*, sequitur Svetonius, *Siciliensi, irrisis multorum locorum miraculis, repente à Messana noctu profugit, Ætnæi verticis fumo, ac murmure pavefactus*. Post Cajum anno Christi 41. ad Imperium admotus Claudius, qui quinquagesimotertio, veneno sublatus Neroni cessit Christianorum tortori, & suipsius anno 68. carnifici.

8 Tria unius anni circo claudẽda Imperia, & Imperatorum cædes, Galbæ nempe, Othonis, & Vitellii, Syracusis Apollonii Magi præstigiis prævisa narrat Philostratus (2). *Cum Syracusas Apollonius venisset, mulier quædam non ignobilis monstrum peperit, quale priùs visum non esse constabat; erant enim infanti capita tria, & eorum singulis singula colla, inferiùs autem unum dumtaxat Corpus cernebatur. Hoc portentum interpretantes aliqui, Siciliam, quæ Trinacris dicitur, perituram dicebant, nisi in unum conspiraverit. Tunc enim Civitates complures, & inter se mutuò, & ab aliis diffidentes, seditionibus magis vexabantur. Alii Typhœum, qui & ipse plura habet capita, dicebant res novas Siciliæ minitari; verùm Apollonius, vocato Damide: vade, inquit, & utrum, sicut ajunt, compositum sit monstrum vide: erat enim publicè expositum, ut esset omnibus & videndi, & divinandi facultas. Referente autem Damide triceps ipsum, ac Masculum esse, convocatis sociis, Apollonius: Tres, inquit, erunt Romani Imperatores, nec eorum quisquam perfectè imperio potietur, sed alii in Civitate ipsa, alii circa finitima Urbi loca potestatem adepti, peribunt.*

9 Tribus illis excussis anno 69. Vespasianus imperavit, & paulò post à Tito Filio capta, & diruta Hierusalem, Deicidii pœnas luit, Vespasiano ad decessores apposito, iterum, Cæsaris sui præsentia datum frui Siciliæ, cum Titus, humani ille generis deliciæ, post domitæ Judææ, & expugnatæ Hierosolymæ gloriam, anno Christi 79. in Italiam ad Imperium capessendum festinans, Messanam venit, dein Rhegium, & Puteolos oneraria navi devectus, Romam ad Orbis clavum pervenit, utinam diuturniùs tenuisset. Post biennium desideratus Titus, Domitianus, cui Fratris gloriam, quam natura largita fuerat, mores invidere, Imperium subiit, quod ad annos quindecim, ingenti Ecclesiæ malo, protractum, à domesticis confossus, Nervæ cessit, & hic post biennium Trajano, quo imperante, primum Christianæ Æræ sæculum finem attigit.

10 Benè, primo hoc ævo de Sicilia meriti Romani, quòd Latinam linguam invexerint, malè, quòd Græcam, quæ hinc obtinebat, corruperint; Dominantis quippe nationis idioma, & à Prætoribus ad Provinciam regendam missis, & à frequentibus Coloniis, quæ sub Augusto reparandis Civilium bellorum ruinis deductæ comportatum, invalescere cœpit ex Diodoro [3], sed



(2) *in Cajo n.*51. [2] *in Vit. Apoll. l.*5.*c.*4. [3] *l.*1.

sed nec Græcas literas, quibus cousque usi Siculi, fundirus evellere poruit, nec, excrescente supra Colonorum numerum Indigenarum multitudine, firmas radices egit; unde ortus lepidus ille Tullii [1] in Verrem Sarcasmus; *Si literas Græcas Athenis, non Lilybæi; si Latinas Romæ, non in Sicilia didicisses.* Corruptelam hanc integro primo Sæculo perseverasse colligirur ex Asconio Pædiano, sub Domitiani temporibus scriptore, qui in illud Tullii subdidit *in ea Insula*, Siciliæ, *quæ natura lingua benè utatur*. Quid in sequentibus actum, propriis locis reponemus.



(1) *in Divinat.*

DIS-

# DISSERTATIO

## QUINAM FUERINT EPISCOPI AB APOSTOLIS IN SICILIA CONSTITUTI?

1 Episcopos in Sicilia ab Apostolis inauguratos, famâ ad nos usque deferente, (sive certa, sive incerta, expendendum) hos novimus: Marcianum, Pancratium, Beryllum, Libertinum, Peregrinum, Philippum, Bacchylum, Barchyrium. Cur non omnes eadem immiti censura prosequantur Scriptores novissimi, in causa est Siculorum genius, quibus insitum inter primos primatum contendere; hinc quotquot partium præjudiciis siderata ingenia primas affectare nullatenus suspicantur, obscuris quantumvis monumentis sepultos potiùs, quàm illustratos, tranquillam ducere noctem suam sinunt; cæteros post Sæcula citant ad Tribunal, aliquoties nonnisi voto, & audacia defatigandos. Proinde Catanam suo Beryllo, Tauromenium Maximo, Agrigentum Libertino, Triocalam Peregrino frui in pace ferunt. Marciani, & Pancratii solam Epocham exagitant, quæ partium causam juvat. Bacchylum verò, Barchyrium, & Philippum non modò abradunt, sed & nomine plectunt.

2 Omnes sanè propriæ Ecclesiæ traditione niti compertum, quæ certè non contemnenda. Plures etiam ex antiquis Patronos habent, qui tamen nonum Sæculum primò viderint, Josephum nempe Hymnographum anno 880., Theophanem Ceramæum 844. Gregorium Byzantinum 815. EncomiastenSyracusanum pauló ante Saracenicam invasionem locutum; ex his Synchrona, vel fortè posteriora M.SS.; ex Scriptoribus cæteri gregatim secuti Græcum illum Simeonem, quem nescio laus, an injuria Metaphrasten nuncuparit, incerti Sæculi, & fortassis decimi Authorem; adeoque in illis non nimis immorandum. Hos ego Episcopos ad trutinam appendam, & expendam, absit, ut ablegem, & Siculas Ecclesias debito honore fraudem; sed quo elucescat, num una tantùm traditio in ordinē redegerit, vel probata Scriptorum Testimonia, quæ apud Eruditos meritò obtineant, suffragētur.

3 Et quidem Maximum, Beryllum, Libertinum, Metaphrastes [1] primò induxit, Petrum Romam contendentem in Siciliam appulisse testatus; unde ortum, quòd Tauromenii Pancratium reviserit, cui Maximum successorem constituit, Beryllum miserit Catanam, ni potiùs secum detulerit, si ad videndum Marcianum Syracusas excurrerit; fortè etiam Libertinum Agrigentum, & alios alibi, quorum nomina liber Vitæ continet, & nobis temporum injuria, aut Scriptorum ino-



(1) *In Vit. SS. Apost. ad diem 29. Jun. ap. Sur.*

inopia invidit, ut hariolatur Par. Octavius Cajetanus [1] patrio amori fortè nimis indulgens. At credulitatem hanc Baronius (2) elevat his verbis: *Metaphrastes iter Petri Antiochia Romam relegens, ordinatas ab eo Ecclesias in via summatim recenset, sed quòd certo Authore ea scripta careant, & in multis à fide vacillent, haud in omnibus probantur*. Probabilius longè reputat, quòd Petrus eo in itinere Neapolim appulerit ob monumenta, quæ supersunt, id nihilominus traditione potiùs, quàm scriptura firmatum affirmat, cætera omittit, eo quia nondum sibi explorata modeste fatetur. Sanè hunc Authorem non res, prout acciderunt, sed prout accidisse potuere, scripsisse testatur Bellarminus (3), & moderniores Critici Bailler, Tillemont &c. apud Honoratum à S. Maria (4).

4 Specialiter de Libertino, aut nulla Actis ejus fides consecranda, aut neutiquam à D. Petro missus. Encomiastes enim Syracusanus asserit ipsum coævum S. Peregrino M. *Hic* Peregrinus *inter cæteros, Dei praconit Marciani doctrina imbutus. ... parem retulit mortis triumphum cum S. Martyre, & Ecclesiæ Agrigentinæ Episcopo Libertino*. Sed Acta utrumque testantur floruisse sub Valeriano, & Gallieno anno 254., & passos sub Quintiano Siciliæ Præside; imò Marcianum illum, cujus discipulus Peregrinus asseritur, vivum fuisse combustum Agrigenti. Hæc autem, & à D. Petri temporibus longè abducunt Libertinum, & Encomiastis hallucinationem ostendunt, qui octavo Sæculo facilè in unum conflavit Marcianum illum, primo Sæculo, à D. Petro missum, & Syracusis Martyrio coronatum, cum altero, fortè Syracusano Episcopo Marciano Peregrini Magistro, qui tertio Sæculo Agrigenti flammas subierit. Et quidem, simili nominis consonantia, majoris ponderis Authores deceptos legimus. Gregorius Nazianzenus, & Prudentius duos Cyprianos Carthaginensem, & Orientalem confuderunt. Alii Acta Clementis Romani, & alterius dein in Chersoneso passi simul conflarunt.

5 Insuper in Actis Peregrini memoratur Agathus quidam Præpositus Monasterii, in quo Divus ille degebat, & mox sanitas restituta Liberato cuidam, qui Romam ad Templum D. Petri accessit; ubi visione jussus ad Sacra Lypsana Peregrini, fortè recenter Martyrio laureati, redire, ut curaretur, & ad Ædem S. Stephani Protomartyris divertisse refertur. Hæc certè frequens Templorum excitatio Romæ, & in Sicilia Ecclesiæ exordia non sapit, ut meliùs alibi expendemus: inde quippe fabulosum reputat Natalis Alexander (5) Templum à Fidelibus excitatum Evangelistæ Joanni, mox ac è ferventis olei dolio illæsus exivit, ut in ejus Vita Prochoro discipulo, & uni ex septem Diaconis perperam attributa legitur. *Id enim*, ait Criticus ille, *passus esset Domitianus? id tulisset S. P. Q. R.? id Sacerdotes Ethnici permisissent?* Acta hujusmodi interpolationis insimulari à Caietano ægrè fero; cum rationem nullam suspicionis reddat. Tanti ne facienda Authoris hujus dubitativa hariolario? fortè etiam Libertinum Agrigentum, Metaphraste vix impellente, qui purum putum D. Petri

(1) *Isagog.c.*13. [2] *ad an.*44.*n.*27.& *n.*28.(3) *de Script. Eccl.an.*850.(4) *Reflex.sup.Critic.diss.*2.*art.*4.(5) *Sæc.* I. *c.*12.*art.*7.

tri in Siciliam accessum memorat; ut explodenda sit narratio debito Romanorum Imperatorum, & Siciliæ Præsidis tempore cōsignata, nec aliunde suspicionem sui ingerens Eruditis?

6 Fidem potiùs de Libertino misso à D. Petro subruit, quàm solidat, id, quod addit Franciscus Baroni (1), novissimè, ad nostra usque tempora perseverasse in Tabulario Ecclesiæ Agrigentinæ originales de Libertino in Episcopum promoto litteras, ea Petri subscriptione firmatas: *Ego Petrus Apostolus Vicarius Christi*. Ubinam Ecclesiarum in Orbe universo patentium hujuscemodi litterarum, & subscriptionis monumentum simile? Unus Libertinus inter innumeros, quos per mundum Petrus disseminavit, authentico hoc missionis instrumento munitus? Etsi dederit, oporteret soli Agrigentino Tabulario non invidisse Sæcula, pepercisse cariem, ut extra fumum, & undam constituta, Sæculo decimoseptimo, pagina hæc superstes perennaret. Non Siculæ clades, non Saracenorum irruptio, non barbarica incendia, quæ Siciliæ universæ monumenta excussere, ausa injuriam inferre. Diligentes supra hominum genus, qui multoties ut fervarent abscondere, quod contigisse indubium est, ut traditione ad filios sine intermissione derivata, rebus Ecclesiæ restitutis mox Phœnix hic lucem viderit, & nemine Siculorum sciente, tantum thesaurum servaret Agrigentum. Deterius est quod subditur, literas has Agrigentinum quendam nostri temporis Episcopum Bonincontrū, ut morem gereret Paulo V. Pont. Romam transtulisse: Hostis profectò, non Ecclesiæ suæ Sponsus, qui tanti ponderis autographum, quo etiam supra Romanam Agrigentina Cathedra lætari potuit, & citra Epocharum restitutiones, & Heterodoxorum jurgia à D. Petro fundatam ostentare prodigè dissiparet.

7 Maximum excutiunt Acta Evagrii, Synchroni Pancratio, ejus Discipuli, ac Vitæ Scriptoris, quæ græcè asservantur in Bibliotheca Cryptæ ferratæ in agro Tusculano, SS. Salvatoris Messanæ; ubi testatur se illius in Episcopatu successorem: non ergo à Petro suffectus Maximus. Id etiam habetur in Breviario Gallicano. *Fili Evagri*, verba sunt Pancratii, *tu scis ab initio conversationem meam, quomodo à D. Petro missus sum in hanc Civitatem prædicare Verbum Dei. Volo itaque ut post obitum meum in Episcopatu mihi succedas. Propterea tibi fili, præcipio, ut post obitum meum accipias Bonifacium, & bonos Cives, & vade Romam ad B. Petrum Apostolum, qui dabit tibi, sicut, & mihi dedit, hujus Urbis Episcopatum* &c. ScioReinam (2) asserere Maximum utique Successorem Pancratii à Petro inauguratum, sed illi præmortuum. At unde novitas hæc nullo fulcimento sustentata? Anastasio Bibliothecario Felicem inCathedra Romana loco Liberii ab Arianis intrusum inter Martyres recensenti fidem abnuunt Critici cum Natali Alexandro (3), quia post quinque Sæcula nullo veterum testimonio usus rem novam ingerat; quid de Reina post sexdecim? Receptissima apud Criticos (4) Baronii regula est: *Quod à recentiori Authore de rebus antiquis sine alicujus vetustioris authoritate profertur, contemnitur;*

(1) *Jud. cōt. Amic. c. 1.* (2) *3. p. Hist.* [3] *Sæc. 4. diss. 32.* [4] *ap. Hon. cit. dis. 1. art. 5.*

*nitur*; & consentiunt Tillemont, Mabillonius, Launoyus: quid si Reina in Evagrio legens, quòd Pancratio successerit, & in modernioribus Maximum à Petro inauguratum, proprio Apolline divinans, Maximum præmortuum scripserit?

8 P. Cajetanus, de more, Acta græca Evagrii corrupta reponit, sed asserti sui rationem Eruditis non profert. Hac porrò via quæcunque Sanctorum Acta, ex quibus plura prodeunt non sapida, nec ad Authoris gustum revocari possent in utrum. Accuratum potiùs Scriptorem Evagrium crediderim, & P. Cajetani judicio, Theophanis Ceramæi Episcopi Tauromenitani, qui nono Sæculo floruit, testimonium antefero; ait enim: *quemadmodum, qui eius Acta scripsit, Evagrius diligenter tradidit.* Insuper nec de se ipso mentitum Evagrium suspicari fas est, hominem, prout ætas illa ferebat, rectum, & inter Divos relatum; nec in cujus gratiam, vel odium interpolator Evagrium episcoparit, aut deepiscoparit Maximum, non coniicio. Ex duobus Authoribus, Synchrono, ut Evagrius, altero posteriori per Sæcula, ut Metaphrastes, & asseclæ, hûc loco cedere jubent Critici apud Arnaldum (1).

9 Beryllus eadem navi fertur, ac Maximus, & Libertinus. Acta ejus omnino obscura. Mors, quæ cunctorum hominũ clarior, adhuc caligine interspersa. Martyrologium Romanum Confessorem indicat, eò quod in pace quievisse dicit. Menologium verò Græcum designat Martyrem: *Certamen S. Martyris, & Episcopi Berylli, Episcopi Catanæ.* Culpanda saltem scribentium incuria, quæ ad suspicionem sollicitat. Non ergo putum inficiale argumentum: nemo præter Metaphrasten, & qui, eo glaciem frangente, scripserunt, de tribus hisce, Episcopis Maximo, Libertino, Beryllo, temporibus Petri, mentionem faciunt; ergo recentiorum, qui memorant, testimonia suspecta. Sed positiva quædam dubio adstipulantur, inde minoris ponderis eorum dicta existimari permittunt Critici apud Honoratum à S. Maria citatum (2).

10 Peregrinum Confessorem M. S. codex Calatabillottæ, quæ subruta Triocala emersit, a D. Petro è Græcia vocatum, & in Siciliam missum refert. P. Cajetanus de suo addit *Roma missum*; an ex antiquiori monumento eruerit, an divinet, an Syracusis suis præjudicia declinare velit, non comperio. Certè opportunior vocando homini è Græcia, Asia, quàm Roma, & difficilior Romæ locus, quo, sub Ethnicis Imperatoribus, & persecutione sive grassante, sive imminente, ex cæteris mundi partibus insignes Viri advocarentur, quàm Antiochia. Actis hujusmodi à nemine, quem sciam, exagitatis pacem non invideo; sed posteriora sanè Ecclesiæ tempora olet, pia Fœmina puro corde Deo serviens, cujus filium incolumem servasse Peregrinus legitur, & numerus ille credentium, quem Triocalæ reperit, laudantium Deum, & grates rependentium pro iis, quæ fiebant mirabilibus, ut benè Animadversor in Acta Vitæ apud Cajetanum observat. Missus insuper ad fugandos Dæmones Peregrinus, quibus Sicilia scatere ferebatur, cum potiùs Apostolorum temporibus ad Evangelii semina jacienda, quorum incremento dominatus inferorum ra-

(1) *diss. pro Egesipp. reg.* 4. (2) *diss.* 3. *art.* 2.

radices convellerentur. Denique quicumque Christi Confessoris mors sub debacchante eo Sæculo persecutione Domitiani per Romani Imperii Provincias; dicendum Acta illa panegyrico potiùs filo, quam historico contexta.

11 De Philippo in Episcopum tempore Apostolorum adstruendo, si traditio non suffragatur, nullam unquam,nec levis conjectura adducit. Unus Baronius (1) inter Episcopos in Siciliam missos à Petro enumerans Philippum,primo occupanti licentiam fecit. Unus Metaphrastes, qui Petrum dum Roma Africam navigaret iteratò Siciliam tetigisse affirmat, viam cæteris aperuit, ut Panhormum designarent, qua rectus in Africam cursus, cui Episcopum, fortè Philippum, consecraverit. P. Cajetanus in posthumis operibus de Philippo hoc meminit, quem cum non recensuerit in Idea futuri operis, quam unam vivens edidit, nec in Indice alphabetico, nec Chronico SS. Siciliæ, suppositionis indicium satis ingerit.

12 At Baronius dum Annales scriberet,à Fazello (2) deceptus est, apud quem legit: *Philippus genere Constantinopolitanus, Christi fidem professus, ob doctrinæ, morumque integritatem à D. Petro Apostolorum Principe, cui erat discipulus, ad Christi Evangelium Siculis concionandum missus.* Nascentis enim Ecclesiæ moribus assuetus, cum Apostoli discipulos ad prædicandum, & unà Episcopos consecratos mitterent, quò Ecclesiastica officia obire possent, facilè Philippum Episcopum reputavit, in eo autem errore non diu perstitit; compertis quippe Eusebii Actis de Philippo Agyrensi, secundi ordinis Presbytero, in margine citati loci se ad suas notas in Romanum Martyrologium remisit, ubi post Fazellum Acta Eusebiana legisse fatetur, & quis Philippus ille fuerit, innuit, de quo nos infra latius cum florentis Agyrensis Sæculum disquiremus.

13 Metaphrastes habet quidem asserti sui de Africana Petri navigatione, & in Siciliam appulsu affectas, Exscriptores potiùs,quàm Criticos, qui rem in examen vocaverint. Baronius (3), qui meminit, infirmitatis sugillat: *Si tamen fides adhibenda est illi, sine Majorum authoritate loquenti.* Quorsum ille rectus cursus Roma Africam per Siciliam à recentioribus suffultus Romanorum exemplo, qui,ut Africam subigerent, Siciliam præoccuparunt? Id sanè non itineris necessitati, vel recto navigationis cursui, sed militari Politiæ tribuendum; nempe, ut proximiorem, & satis fertilem regionem haberent, quamvis deviam, qua velut horreo, & armamentario in expeditione uterentur. At demus Petri navim, sive procella jactatam, sive ad longioris viæ molestiam declinandam, Siciliam tetigisse; unde habemus, quòd Panhormum, & non potiùs finitimas Lilybæo oras, unde rectus, & propior in Africam appulsus?

14 Minus habet de soliditate funiculus ille triplex Philippi Agyrensis in Siciliam Neronis tempore missi, Philippi Diaconi Panhormitani, quem Parentes à Deo, Agyrensis precibus, impetrarunt, Philippi Panhormitani Episcopi, qui eum ad Diaconatum promovit. Revocato siquidem Agyrensi ad tempora Arcadii, & quintum Sæculum, quod speciali dissertatione præstabimus, ex Eusebii Synchroni Histo-

(1) *ad an.*46. (2) *Dec.*1.*l.*10. (3) *ad an.*55.*n.*3.

Historia, jam Diaconus anno 470. ex Cajetano (1) rectè locatur, & Episcopus ille evanescit.

15 Quod denique Inchofer [2] divinat eundem hominem fuisse, & Messanensem Episcopum Bacchylum, Barchyrium, Eleutherium, Liberalem, Philippum, multinomium, juxta idiomatis Latini, & Græci varietatem, & insignes virtutes, unde appellationem meruit, silentio premendum est, non confutandum. Porrò si ex invicem consonis duplicis idiomatis nomenclaturis, & desumptis à virtute vocabulis, fas esset hominem nuncupare, profectò neminem ex Divis Ecclesia habet, nisi Myrionymum.

16 Marcianum, & Pancratium simul in Siciliam missos, constans traditio est, noni Sæculi Scriptoribus supra laudatis concorditer suffragantibus. Unus dissentit Pirrus [3], & Pancratium Marciano anteferet, quasi ille anno 43. advenerit, iste verò sequenti 44., authoritate tamen vetustiori destitutus. Quis autem annus ille, quo Sicilia geminato hoc Sydere illustrata, incertum. Gulielmus Spirensis (4) id accidisse testatur eodem anno, quo posita Petri Sedes Antiochiæ, quem putat 39. P. Octavius Cajetanus(5) anno 40. Baronius [6] anno 44.; ex his uterque Nicephorum secutus, qui eos Antiochia missos adstruit, & nonnisi post Siculam Ecclesiam fundatam Petrum Romam versùs iter instituisse; quamvis Baronius ex Actis Ecclesiæ Cajetanæ, in quibus referuntur missi, imperante Claudio, in id propendeat, quòd Petrus Romà miserit, unde & Rufum Capuam, Apollinarem Ravennam, &c. Sed Actis Cajetani fidem derogat, quòd in vita Marciani mentio fiat de Montanistis, qui 2. Sæculo sub Antonino Pio emersere, & de Iconomachis longè posterioribus. Refragantur majora ex vetustioribus testimonia. Joseph Hymnographus [7]: *Splendidissimus ille Apostolorum Coriphæus Petrus ex Oriente Solis justitia Christi, te* Marcianum *primam Stellam Occidenti, tanquam fulgentem radium misit*: & Encomiastes Syracusanus *Petrus Princeps ille Apostolorum.... Antiochiam ingressus, ac Divini Verbi semen spargens, primum illinc elegit hunc Sanctum, & verè Magistrum* Marcianum, *& ad docendum destinavit. Mittitur ergo ab Apostolorum Coriphæo eruditus Magister, veniensque in hanc Syracusanam Civitatem, &c.* Consonant Acta Evagrii de Pancratio, qui ambos refert suasu Pauli à Petro in Siciliam missos, & post Crescentem in Gallias destinarum. Sed hoc bilem movit P. Octavio Cajetano, ut ea Græcæ fidei fugillaret; cum nec Crescens Gallias viderit ante annum 61.; aut saltem 59., nec Paulus unquam Petrum Antiochiæ convenerit. His tamen rationibus inaniter Acta illa impugnari existimo. Numquid enim idem est Crescentem in Gallias destinatum, & Gallias appulisse? Jacobus quidem Apostolus ex Beda destinatus fuit in Hispaniam, quæ forte in Orbis partitione ei obtigit; non inde tamen exsibilandi Critici, qui cum Natali Alexandro (8) accessum Jacobi in Hispanias suppositi-

(1) *in Idea indic. Chronic. SS. Sicul.* [2] *de Epist. B. V. ad Mess. c. 36.* (3) *Not. 1. Eccl. Taurom. l. 2. & Not. 2. Eccl. Syracus.* [4] *Hist. Eccl. Cent. 1. p. 1. d. 8.* (5) *in Actis, & Isag. l. 2. c. 35.* [6] *ad an. 46. n. 27.* (7) *apud Acta P. Cajet.* (8) *in Collectan. de div. Apost. Sæc. 1. diss. 1. & Tillemont in Jacob.*

fititium habeant; quod estò ei Hispania obvenerit, nunquam tamen eò profectus, Herodiana persecutione præventus. Potuit igitur longè ante profectionem suam Crescens in Gallias destinari, quas tandem aliquando tenuerit. Congressus item Pauli cum Petro Antiochiæ ante Marcianum, & Pancratium in Siciliam missos non facilè expungendus, ut infra expendemus in Bacchylo.

17 P. Cajetanus, qui simul Antiochia solvisse Marcianum, & Pancratium tuetur, Syracusas præfert, quas Marcianus tenuit biduo antequam Pancratius Tauromeniū appulerit. Sed hæc ad horas,& momēta delicatè mēsurata navigatio, suspicionem ingerit, quòd ita divinarit ex intervallo passuum60.millium inter illas duas Urbes,per biduum, vento non refragante, nec unda, facilè percurrendo, cum ex Oriente venientibus priùsSyracusæ occurrant. Neque hoc quidem intentum suum relevat.Sanè non Viri Apostolici appulsus, sed Apostolici muneris exercitium anteriorem Ecclesiæ fundationem arguit. Dato autem, quòd post biduum Pancratius Tauromenium venerit, ex eodem P. Cajetano deducitur, quod ante Marcianum evangelizaverit. Refert enim ex Gregorio Byzantino, quod Pancratius è navi ipsa stantes in proximo littore Christum docuerit; imò, & nautas ipsos traxerit ad fidem; Marcianus verò Syracusas, Urbem tunc vastam, priùs lustraverit, demum speluncam elegerit contra Judæorum Synagogam, ut facilior annunciandi ipsis Evangelium pateret aditus, quod certè longiùs, quàm duorum dierum negotium est.

18 Bacchylus, & Barchyrius,an unus, & idem homo sit, sive binomius ab initio, sive orto ex Transcriptorum oscitantia, aut vulgaris Idiotismi errore, nec Scriptores nimis curant, nec extra verosimile est. Levia hujusmodi menda,& quæ Actorum fidem non elevent, fatetur Tillemont (1);ut si legatur Aurelius pro Aureliano, Trajanus pro Tralliano, Thraces pro Daces, &c. Nomina Sanctorum à vulgo corrupta in Sicilia recenset P. Cajetanus in Idea: Brancatum nempe pro Pancratio Turturicii, Mylis Papinum pro Pappiano,in Oppido Craterio, Æmilianum pro Mamiliano, Messanæ Licandrum pro Nicandro; & optimè ad rem nostram scripsit Maffutius (2): *Bacchylum corrupto vocabulo ibi*, Messanæ, *Barchyrium vulgus appellat*. Pirrus (3) ipse, qui hanc nominum confusionem irridet, velit nolit, ibidem adstruit, & quam pro excutiendo Bacchylo à primo Sæculo corruptionem in Barchyrium explodit, pro eo revocando ad Sæculum quintum amplexatur confundens cum Bacchylo, cujus mentio in Epistola 4. Leonis I. Rom. Pontificis ad Episcopos Siciliæ anno 444., non id propter sugillandus homo in vetustioribus monumentis pervestigandis de Sicilia benè meritus, cum & melioris notæ Authores in idipsum cespitarint.Dupin (4) à Hieronymo,& Eusebio recedit, testantibus S. Pantænum reperisse in India Evangelium S. Matthæi, quod ibi S. Bartholomæus reposuerat; ad quid enim Hebræum Indis relinqueret?Sed ipsemet judicet fortè fuisse Evangelium Nazaræorum, quod tamen cer-



(1) *ap.Honor.à S.M.diss.4.art.5.*(2) *in Vit.Pauli Apost. l.13.c.8.* (3) *Not.2. Eccl.Mess.* (4) *tom.1.*

certum est æquè Hebraicum fuisse. Quòd, si duo sint Bacchylus,& Barchyrius, de isto, qui in ea hypothesi ferè post annos 20. ab illo sedit, non disceptant, qui pro primis Episcopis congrediuntur; unde quæstionis cardo in Bacchylo volvitur.

19 Apostolum Paulum Messanæ prædicasse, ubi Bacchylum primum Urbis Episcopum consecravit, constans Ecclesiæ Messanensis traditio est: in consuet., (1) & observ. pro Urbe,& Diœcesi Mess. *Januarii die 25. Conversio S.Pauli Apostoli. Fit Processio ratione Insignis Reliquiæ ejusdem Gloriosissimi Apostoli, qui Bacchylum primum Episcopum, hujus Protometropolitanæ Messanensis instituit.* Et ad eundem diem in Ordine recitandi Divinum Officiū *In Urbe ex vetusta consuetudine fit solemnis Processio*, &c. Ejusdem Processionis, & Traditionis meminit Cornelius à Lapide (2), P.Octavius Cajetanus (3), Thomas Maffutius (4), & Antonius Caracciolus Cler. Reg. (5) eandem in sua Neapoli celebritatem induci exoptaret: *Hactenus de BB. Apostolorum Petri, & Pauli ad nostram Neapolim iteratis accessibus dixisse sufficiat. Illud verò ego prorsus fieri debere censeo, ut sicut Messanenses statuerunt diem vigesimumquintum Januarii, quo memoriam adventus Pauli Messanam, ubi Bacchylum Episcopum ordinasse traditum est, solemniter celebrarent, ut patet ex Fastis Siculis, & Kalendario Messanensi, ita etiam Neapolitana Ecclesia, &c.*

20 Cur autem Processionis hujusmodi non meminerit in suo Martyrologio Franciscus Maurolycus Abbas Messanensis, cui Patriæ Ecclesiæ certè notus erat census, & origo, eruditè expendit Benedictus Salvago (6): *Num in Martyrologium, quod ipse secundùm morem Ecclesiæ Romanæ scripsit, supplicationes omnes inferendæ erant? quæ in die Divæ Ceciliæ solemni pompa peragitur ob liberatam à Gallorum obsidione Civitatem: & plura etiam alia omisit, quia brevitati studuit, nec fuit ejus institutum pompas Ecclesiarum describere, sed quorundam locorum Reliquias tantùm verbo signare, idque in calce alioquin & Catanæ insignis per octiduum supplicatio ob memoriam Divæ Agathæ; & Panhormi ob Religionem D. Christinæ celebritas, quia Maurolycus non meminit, languescent in memoria hominum, aut fide carebunt, &c.* Hinc Messanensium Traditio nullatenus Maurolyci silentio infirmatur, sicut Adonis taciturnitas appulsui D. Magdalenæ in Provinciam illius Ecclesiæ traditione firmato non præjudicat ex Natali Alexandro (7) pari ratione: *Nonne ipse etiam domesticos Ecclesiæ suæ Sanctos prætermisit?* Nec,si ratio nulla suppetat silentis Maurolyci, Traditio illa expungenda. Quis enim expungat Traditionem de Domo Nazarena Lauretum translata,quia D. Antoninus loco finitimus, & tempore synchronus non meminit? ut benè expendit Natalis Alexander (8).

21 Hinc arbitrium illud, quod sibi arrogat Pirrus (9), opinandi Processionem hoc initium sumsisse anno 1435., cum Sancius de Heredia Pauli Reliquias Messanam invexit,

(1) *apud Reinum p.2.Not.Hist.* (2) *à Lapide in Act. cap.* 18. (3) *Caietanus in Idea, & Isagog. cap.* 24. (4) *Maffutius loco citato.* (5) *Caracciolus de Sacris Ecclesiæ Neapolitanæ Monumentis cap.* 6. (6) *Apolog. pro Epist. B. M.V.S.*39. (7) *Sec.1.diss.*16. (8) *Not.1.Eccl.Mess.* (9) *diss.*16.

xit, nec ita censorium est, cui non possit refragari, quandoquidē nullo innixus fundamento Author ipse fatetur ita se arbitrari; nec inferr, quòd, ea occasione, nō magis rantū propagata fuerit Traditio de Paulo, cui Messanenses prima Fidei semina deberent, ex Reliquiis occasione sumta, & Supplicatione in grati animi monumentum instituta.

22 Siculæ Ecclesiæ gloriam hanc, quòd Doctorem Gentium omnium primum Magistrum habuerit, pluribus suspectam reddit Authorum discordia in assignando congruo prædicationis hujuscemodi rēpore, & salebræ, quas Eruditi in Pauli peregrinatione ita coapranda, ut Siculæ expeditioni locus inveniatur, offendunt. Sed certè sola temporis incertitudo nil narrationis fidem elevat. *Quid enim refert ad rei veritatem, quo tempore facta sit?* ait Natalis Alexander (1). Petrum Romæ sedisse, Nerone imperante, scribit Lactantius, in exordio Regni Claudii Orosius, anno 2. S. Hieronymus, anno 4. Fasciculus temporum, anno 13. Passionale de Viris Sanctorum. Ipsa Morris Christi Epocna non magis certa, Anno ætatis 30. passum testatur Clemens Alexandrinus, 33. Eusebius, 34. Recentiores, 37. ex Criticis plerique, inter 40. & 50. Irenæus. An ideo succumbendum Heterodoxorum jurgiis, qui Petrū Romæ sedisse inficiantur, quia in Epocha statuenda Orthodoxi Scriptores diffidenr, & invicem parachronismis irreritos se fugillant? aut Gentilium subsannatione erubescimus, quia Christum mortuum confitemur, & adhuc Æram ignoramus? Majus negotium fanè facessit inter Pauli peregrinationes, Siculæ opportunum locum sine absurdo assignare, non quia positivum Testimonium de ea invenire conemur; sed ut evincamus, quominùs facta fuerit nihil obstare.

23 Inter plures, & vero minùs conformes opiniones, ea securior, quam habemus ex P. Paulo Belli, apud quem latè legenda, quæ summis labiis, prout ad rem nostram, libabimus. Paulus Apostolus primo à Passione Christi anno, supponatur Æræ vulgaris 35. baptizatus, per triennium in Arabia commoratus est, ut ad Galatas (2) ipse scribit; inde anno 38. Apostolos convenit. De eo posthac altum silentium in Scriptura usque ad annum 42., aut potiùs 43. ex Natali Alexandro, quando à Barnaba Tharso Antiochiam deductus est, ut observat Nicolaus Serarius (3). Hæc porrò lacuna cunctis implenda Siculæ expeditioni citra parachronismum januam aperit. Qui enim fieri potuisset, ut Apostolus, quem triennio moræ suæ in Arabia Chrysostomus (4) nobis exhibet volucris instar circumeuntem: *Studebat occupare regiones à nemine cultas.... cum multas jam nationes convertisset ad Evangelium, tantasque res gessisset, quantas cæterorum nemo gesserat.* Quomodo, inquam, integro quatriennio, novo Christi Domini jussu roboratus, fidem diffitisGentibus inferendi, unius Judææ, & circumfinitimarum regionum, brevi circo, Apostolicos labores concluderet? Quid si dicamus hominem, cujus animo altè insederat Romam veniendi studium, quod, & plu-



(1) *Sæc. 4. diss. 11. apud eand. Sæc. 1. diss. 3.* (2) *Ad Galatas cap. 1.* (3) *Sæcul. 1. c. 7. art. 11.* [4] *Opusc. de Pauli, Apost. & Jud. prodit. p. 3. n. 28.*

pluries tentasse se fatetur, obvias, recto cursu regiones aliquando excurrisse? *Neque quoniam*, ait Chrysostomus (1), *probibitus sum, destiti ab incæpto semel conatu; sed semper quidem rem attentavi, semper tamen prohibitus fui, neque tamen unquam destiti.* Et infra: *Idque non semel, sed & secundò, & sæpè numero.* Judææ sanè confinia, lento pede peragrare, nullatenus Romanum iter attentare est.

24 Lucem qualemcunque afferunt Godeau (2), & Baronius (3), qui ante Neronis tempora, (& cohærenter nonnisi hoc annorum intertitio) prædicatum in Hispania Evangelium deducunt ab Inscriptione in Clunia Colonia reperta: NERONI CL. CÆS. AUG. PONTIF. MAX. OB PROVIN. LATRONIB. ET HIS QUI NOVAM GENERI HUM. SUPERSITIONEM (certè Christianam) INCULCAR. PURGATAM. Ita sentit Baronius [4] nonnisi de Christiana ea posse intelligi, necessarium illud est argumentum, quòd nulla Neronis tempore, nec ante diu, vel postea, alia nova in Orbem invecta est Religio, quàm Christiana; nec certè Nero omnium superstitiosissimus aliam quamlibet superstitionem Gentilicam potuit persecutus esse, qui etiam magicis ritibus addictissimus erat. Sed & illud verbum illorum observa: *Superstitionem inculcarant*; quod certè Christianorũ proprium fuit, Religionem omni studio, totis viribus, verbis, factisque, cunctis denique nervis suscipiendam omnibus Gentibus ingerere. A Paulo autem prædicatum nemo ambigit, & nonnisi sub id temporis, ut clarè colligitur ex Itinerario, & mora Pauli in Asia ab anno 43. ad Neronis vincula exactè ad annos singulos descriptis à Natali Alex. [5]. Idem etiam innuit Epiphanius [6] *Paulus in Hispaniam profectus est, Petrus verò sæpè Pontum, & Bithyniam visitavit.* Profectò excursum hunc Petri ante annum 42. accidisse colligimus ex Natali Alex. (7), qui Petrum quarto à passione anno Ecclesiam Antiochenam fundasse, & sequentibus tenuisse, & interea vicinas Provincias peragrasse Pontum, Asiam, Bithyniam, Cappadociam, &c. testatur. Quis igitur eunti, vel redeunti Paulo opportunitatem datam deneget Siciliam percurrendi? Cùm & non leve monumentum Theodoretus [8] ingerat: *Paulus & in Hispaniam pervenit, & Insulis, quæ in mari jacent, utilitatẽ attulit*, & Chrysostomus (9), *tentendorum tabernaculorum Artifex hic* Paulus *non Siciliam modò, atque Italiam, sed & universum Terrarum Orbem prædicans peragravit.* Quæ quidem verba nequeunt de appulsu Pauli Syracusas, cum vinctus duceretur ad Neronem verificari; tunc quippe, nec ei verbum prædicare datum, nec unam oram cursim tangere, Siciliam peragrare est.

25 Morabitus (10) in Annalibus Ecclesiæ Messanensis eruditè expendit, & ad rem verba illa ad Rom., quòd usque ad Illyricum, & per circuitum Paulus excurrerit. Quid veniat nomine Illyrici deducit ex Plinio (11): *Arsia gens Liburnorum jungitur usque ad flumen Titium. Pars ejus*

(1) *Hom.* 2. *in c.* 1. *Rom.* (2) *Godeau. Hist. de an.* 69. (3) *Baron. an.* 69. *n.* 46. *ap. Honor. à S. M. diss.* 6. *art.* 5. §. 4. (4) *ad an.* 69. [5] *Sæc.* 1. *c.* 7. *art.* 7. (6) *Heref.* 27. (7) *ap. Natal. Alexand. Sæc.* 1. *diss.* 6. & *diss.* 14. [8] *sup. Ps.* 116. & *c. ult.* [9] *in c.* 1. *Rom.* (10) *tit.* 1. (11) *c.* 15. *l.* 3. *c.* 21.

*ejus fuere Mentores, Hymani, Encheleæ. Dudini, & quos Callimachus Peucetias appellat: nunc totum, uno nomine, Illyricum vocatur generatim.* Peucerias porrò Veteres dixere regionem in Peninsulæ formam à Brundisio ad Tarentum protensam, & Magnæ Græciæ conterminam, quæ modò tota Calabria vocatur. Inde igitur Messanam excurrisse facilè est, & Apostolo dignum.

26 Suffragatur Rheginæ Ecclesiæ traditio quòd inibi Paulus prædicaverit, & Stephanum Nicænum primum Episcopum inaugurarit, & superstes Columna marmorea, Paulo prædicante, prodigiosè accensa, confirmat ad hunc diem. Acta Stephani græcè conscripta in vetusto M. S. Codice Bibliothecæ SS. Salvatoris Messanæ exhibentur, & in Romano Collegio S. Basilii consignato numero 85. Hoc autem cum præstare non potuerit uno die commoratus, & in vinculis, cum Romam duceretur ex Act. 27., alterius peregrinationis indicium est; nec ratio efficax in oppositum urget, quin eadem, in qua primò Messanam tetigit. Ex quibus intentum habemus, nullo parachronismo Bacchyli Ordinationem exsufflari. An autem iteratò Paulus Messanam venerit, sive à Neronianis vinculis redux, sive Romam ad Martyrium remeans, & Barchyrium Bacchylo successorem ordinaverit, nec Siculis digladiantibus negotium facessit, nec nobis curandum.

27 Quod verò aliqui obtrudunt Paulum longè post hæc tempora Episcopum consecratum, cum Barnaba per manuum impositionem ex Actorum 13., Bacchylum in Episcopum consecrare neutiquam valuisse, apud Eruditos non obtinet. P. Suarez (1) manuum præfatam impositionem, Cæremoniam quamdam, non liturgicam consecrationem tuetur; unde Paulus aut anno 38. Episcopus ordinatus, ut opinatur P. Belli citatus, aut à Baptismatis exordio, non ab Apostolis, sed à Christo, à quo Apostolus est constitutus, authoritatem, consecrationem, & jurisdictionem accepit, ut docet Petrus Comestor (2) ad illud Actorum, Anselmus, & ex Cyrillo Bellarminus pluries in suis controversiis.

28 Hinc congressus ille Pauli cum Petro Antiochiæ, & de Marciano, ac Pancratio in Siciliam mittendis suasu, non ita leviter exsibilandus cum P. Cajetano, cum nulla temporum interversione laboret, & positiva legantur, apud Authores Messanenses pro Epistola B. Virginis vindicanda insudantes, testimonia Sacerdotum Maronitarum ex Syriacis Codicibus excerpta, quæ cæteris dijudicanda remittimus. Nihilominus quodvis esse potuerit Pauli consilium de Discipulis Petri in Siciliam destinandis, facilè adquiesco, quamvis Acta Evagrii id testantia in aliquibus rhetoricum potiùs ornatum, quàm inconcussæ Historiæ seriem ostentent; cum etiam missio illa fortuito Syracusanæ, & Tauromenitanæ navis ab Antiocheno portu solventis occursui tribui possit. Porrò Apostolici ordinis Principi congruebat obvias quascumque spargendi per Orbem verbi semina opportunitates amplecti. Quid ipsi potiùs cum Pachyno, quàm Lilybæo,

(1) *t.3.in 3.p.disp.34.sect.1.* (2) *Pet.Comest.Hist. Eccl. c. 72. Ansel. hom. 8.* (3) *Bellarm.tom.1.l.4.c.23. & tom. 3. de Sac.Conf.c.12.*

bæo, aut cum Sicilia præ Italia? cum Discipulos itidem imposuisse dici queat Alienigenarum Navibus ad Evangelium Gentibus prædicandum, quacumque regressu, tenderent, aut declinarent.

29 Ex his sponte corruit abnutotium argumentum, quod passim strepit in triviis, de Lucæ silentio, qui celebrem hanc expeditionem non tacuisset; quandoquidem Lucas nonnisi prope annum 52. post dimissos Thessalonicæ Silam, & Timotheum, à Paulo delectus in comitem peregrinationis ex Natali Alexandro (1): hinc ea, quæ antea gesserat, non expendit; *Declarandus est, ex Baronio* (2), *Hieronymus, dum Lucam totius peregrinationis Pauli comitem appellat individuum; cum tamen nonnisi ex hoc tempore hæc de illo dici possint. Nec siquidem, ut illi semper inhæserit, sed aliquando ut occasio postulaverit, absuerit. Videas post hæc ipsum, ut qui præsens esset, res singulas distinctè, plenèque narrare; cum alioqui antea, ejusdem Hieronymi testimonio, gravissima prætermiserit, multaque strictim, summatimque narrarit.* Quod & alibi repetit; ubinam legimus in Luca profectionem Pauli Hierosolymam videre Petrum, convictum Petri, & Pauli Antiochiæ, congressum Romæ, dexteram societatis à SS. Petro, Jacobo, & Joanne Beato Paulo datam, hujus iter in Galatiam, &c? ut expendit Natalis Alexander (3), si ob id in dubium revocentur, dubium pariter erit, quòd Lucas scripserit Evangelium, quia se scripsisse non narrat; benè arguit Criticus ille. *Nil igitur mirum, confitendum nobis cum Hieronymo* [4], *si Lucas hanc rem tacuerit, cum & alia multa, quæ Paulus sustinuisse se replicat, Historiographi licentia prætermiserit.*

30 Hæc nos largius de Bacchylo Siculæ Traditionis injuriam propulsaturi, cui nedum rationes confuratione dignas, sed & nænias sibilo excipiendas obiici viderimus. Inter has non levis, quæ de Columella bicubitali lustralis Aquæ fontem in Majori Tēplo Messanensi fulciente circumfertur, cum ea hinc inscriptione:

AESCULAPIO, ET HYGIAE
SERVATORIBUS
URBIS TUTELARIBUS.

& inde

AELIO HADRIANO
ANT. AUG. PIO
P. P.

quasi ante ea tempora Evangelium Messanæ prædicatum exsufflet, aut Apostasiæ ab Evangelio semel suscepto Civibus crimen inurat. Hæc sanè non critica caute exacutum, sed bile tinctum calamum innuunt. Petrus ergo Romæ non sedit, aut Apostasiæ rea Urbs, quia innumera Idololatriæ monumenta, ac Gentilium trophæa posterioribus Sæculis excitata. Id profectò Dominantium tunc temporis Religionem ubivis Gētium Idololatricam restatur, quæ nonnisi Sæculorum decursu excussa, & pusillum prioribus Ecclesiæ Sæculis Christi Gregem, quod quidem ultro in Sicilia admittimus; cum & quinto Sæculo Philippus Agyrensis, Calogerus, & alii Apostolici muneris Viri incolas ad Christum traxisse legantur. Quid si alibi exculptam Columellam dicerem, & inde delatam Messanam, Christo jam obtinente? sicut Phanis excussis, ex devictæ Idololatriæ manubiis Templa exorna-

(1) *Sæc.1.c.7.art.6.* (2) *Ad an.51.& ad an.34.* (3) *Sæc.1.diss.13.& diss.12*
(4) *In c.2.ad Gal.*

nata per Orbem cognovimus. Legatur de hac re Salvagus (1) citatus, & Morabitus (2).

31 Enumeratos ergo sub Dissertationis exordio Episcopos ab Apostolis in Sicilia constitutos lubens sustineo, Syracusis nempe Marcianum, Tauromenii Pancratium, & Maximum, Catanæ Beryllum, Agrigenti Libertinum, Messanæ Bacchylum, aut Barchyrium, Triocalæ Peregrinum, Panhormi Philippum, aut innominatum; sed nullo firmiori fundamento, quàm Ecclesiarum traditionibus, quas omnino sequẽdas contendo: quamvis enim antiquæ Ecclesiasticæ Historiæ monumenta, quæ claré evincant, non suffragentur, non refragari tamen satis est, ut Natalis Alexander (3) Traditionem Ecclesiæ Provinciæ propugnans, de appulsu Lazari, Marthæ, ac Mariæ Magdalenæ Massiliam, docet. Ex eodem ad intentum, habemus, quòd discussis hinc inde rationibus, de Dionysii Areopagitæ adventu in Gallias, per Sorbonicos ad Breviarii correctionem designatos, coram Eruditissimo Francisco Arleo Parisiensi Episcopo, ita Doctissimus Præsul decreverit: *Non esse convellendam piam Majorum nostrorum opinionem, cui saltem probabilis sententiæ jura non spernenda momenta confirmant.* Frigida satis Pseudo-criticorum responsio est, quòd sint Traditiones populares, quarum ignota origo, & fortè ex apocryphis desumtæ, nullove Scriptorum, nisi Recentiorum suffragio consignatæ. Possessio Ecclesiæ, (in sui operis coronide concludit Criticorum novissimus Honoratus (4) à S.M.) Episcoporum, & Populi usum illum approbandi, inficialibus argumentis non convellitur, nec probationibus hisce vagis; sed solidis rationibus, & positivis testimoniis, quæ animum in partem alteram abducant, opus est.

32 Undenam ad nos traductum, nisi populari traditione, Idola Ægypti contrita, intrante Jesu cum Matre Phanum Hermopolitanum, & Arborem se inclinantem ad adorandum, quam refert Tillemontius (5)? Unde adventum Petri sub Romana peregrinatione Amaseam Ponti, & Nicetæ Episcopi ordinationem, quam legimus apud Bollandum (6), nisi ex immemoriali illius Ecclesiæ credulitate independenter à quacunque scripta Historia? Solæ Epistolæ PP. Jesuitarum de prædicatione Joannis ad Indos Traditionem illiusGentis inseruere Annalibus Baronii(7), & in Tillemontio[8]. *Porrò in rerum gestarum narrationibus nihil rationi minùs consentaneum*, ait Natalis Alexander [9], *quàm ut earum verisimilitudo ad nostros calculos exigatur; aut argumenta à nobis efficta, tandemque efficturibus probabilia visa, quidquam ad fidem Historiæ faciendam, vel derogandam posse patentur.... Piget dicere quid de ipsa Sacrosancta Historia, & Scriptura fieret, si sceleratæ hujusmodi quæstiuncularum libidini, dirisque hisce ingeniorum maleferiatorum equuleis submittantur*; id ego pro Traditionibus hujuscemodi, quæ diu obtinuere, repono. Doleo Siculos Scriptores partium studiis præventos magis in patria gloria infirmanda, quàm cæteri Gentium pro ea firman-

(1) §.41.& 42. (2) *Morab. Annal. Eccl. Mess. ad an.* 126. *in fin. n.* 14. (3) *Sæc.* 1. *diss.* 17. (4) *Reflex. sup. Critic. diss. ult. art. ult. §. ult.* (5) *Tillemont. tom.* 1. *art.* 4. *de Christo Domino.* [6] *Bolland.* 26. *Apr.* (7) *Bar. ad an.* 44. *n.* 30. (8) *Tillem. tom.* 1. *in S. Jo. Ev.* (9) *Sæc.* 4. *diss.* 44. §. 1.

manda, tempus insumere, de cavillationibus ad impugnandum potiùs sollicitos, quàm de eruendis, quæ propugnent, monumentis, quos meritò configant Melchioris Cani [1] aculei: *nostri plerique vel affectibus serviunt, vel de industria quoque ita multa confingunt; ut eorum non solùm pudeat, sed etiam tædeat.... quidam affectui suo nimium indulgent, & ea scribunt, quæ animus scribentis dictat, non veritas*. Aptum illis Crisi ingenium, genium dulciorem aveo.

# SÆCULI PRIMI

# FINIS.



[1] *lib.* 11. *c.*6.

# SÆCULUM SECUNDUM.

## §. I.

## *ECCLESIASTICARUM RERUM SYNTAGMA*

1 PEtri Sedem, secundo Sæculo ineunte, Evaristus tenebat, quo, eodem ac Decessores turbine, per Martyrium excusso, sub Trajaniea persecutione, anno Christi 108., subrogatus Alexander natione Romanus. Eo sedente, Concilium Provinciale in Sicilia celebratum contra Heracleonitarum dogma consurgens, refert Author libri de Hæresi Prædestinatiana (1) his verbis: *Hæresis Heracleonitarum ab Heracleone adinventa est, quæ baptizatum hominem, sive justum, sive peccatorem, loco Sancti computari docebat, nihilq; obesse baptizati peccata memorabat... Hic in partibus Siciliæ incheavit dicere. Contra hunc susceperunt Episcopi Siculorum, Eustachius Lilybæorum, & Panhormæorum Theodorus. Quiq; omnium, qui per Siciliam erant, Episcoporum Synodum exorantes, gestis eum audire decreverunt, & universas assertiones ejus dirigentes ad Sanctum Alexandrum Urbis Episcopum, rogaverunt, ut ad eum confutandum aliquid ordinaret. Tunc Sanctus Alexander ad singula quæque capita Hydri singulos gladios Verbi Dei de vagina Divini Verbi eliciens, librum contra Heracleonem ordinans, ferventissimum ingenio Sabinianum destinavit, qui ex scriptis Episcopi, & assertione sua, ita eum confutaret, ut nocte media Navis præsidio fugeret, & ultra ubinam devenisset, penitus nullus sciret.*

2 Ejusdem Concilii memoriam extare in Libello Synodico refert Pagius [2], quamvis autem Libelli apud Eruditos dubia fides sit, ejus tamen in hac re Testimonium admittendum censet cum Baluzio, & Labbæo (3), hos sequitur ex Sieulis novissimis Antoninus Mongitore [4]; quamvis ad posteriora tempora referat, nempe ad annum 125., qui ultimus Xysti R.Pont., & de eo adhuc meminisse addit Guillelmum Cave(5), sed certè Concilium Siculum adducere, & expungere, siluisse potius est, quàm meminisse. Potuerat & in eodem sensu citare Eruditissimum Natalem ab Alexandro (6); uterque enim tanquam suppostititium explodit; unde rationes duas, quibus invictè respuitur, scilicet Silentium Antiquorum, & Anachronismum, & laconicè satis attingit idem Alexander, latiori calamo expendemus.

3 Et quidem licèt negativum argumentum à Veterum silentio erutum apud Eruditos non nimis obtineat, & infirmum eenseant; efficaciter tamen convincere existimat Basnhagenus (7), si universaliter omnes sileant habentes in causa interesse, & nil positivè intentum evincens afferatur; hinc in sequentibus (8) suspectum habet accessum

H D. Dio-

(1) c.16. (2) *Brev.gest.RR.PP.in Alexand.* [3] *in nov.Collect.Conc.ap.Pag. in Alexand.*(4) *Appar.ad Biblioth.Sicul.n.23.*[5] *Sæc.2.* (6) *Sæc.2. cap.3 art.6.fol.289.*[7] *Hist.Eccl.in præf.*[8] *Inst.5.c.2.*

D. Dionysii in Gallias, de quo profundum apud Gallos omnes Scriptores silentium, & post annos sexcentum primò intulit Fortunatus Episcopus Pictaviensis, solidum asserti sui fundamentum non adducens. Profectò non sine irrogata Siculis injuria, quos sedulos in Antiquitatis monumentis pervestigandis fateatur, oportet, quicumque Pirrum, Fazellum, Morabitum, cæterosque legerit: Concilium hoc post quindecim ferè Sæcula intrudirur ab Authoribus præsertim Transmontanis; cùm apud Genticos, & Patriæ gloriæ satis cupidos, nil unquam tale insonuerit. Quod sanè magis dubiam, quàm Criticis sapiat, Synodici Libelli fidem reddit. Itane incuriosum in Sicilia hominum genus, qui è Tabulariis suis primi Sæculi monumenta excussisse ostentant, ut eos clarissimum hoc in secundo subterfugerit (1)? Cur ipsis hariolandum, & forte fortassis non plenè propitia, de Bacchylo, de Libertino, de Peregrino, de Philippo, de Innominato Panhormitano; si Episcoporum catervam Conventus Sacros agentem sub crepusculo Sæculi secundi suberat, unde Apostolicis temporibus ubertim constituta Sicula Ecclesia innotescere potuisset?

4 Duos illos Episcopos nominatim expressos, fictitios habeo. Oh Pirrum superstitem! Cujus conatui lapis nullus immotus, ut Panhormitani Episcoparus memoriam ad prima Ecclesiæ tempora constitueret, retroacto ad tria ultra Sæcula Philippo Agytensi, cùm commodè potuerit Theodorum hunc sub initio secundi Sæculi florentem ad primum facilè revocare, & Decessorem nullo labore constituere. Lilybætana autem Ecclesia à P. Octavio Cajetano [2] inter eas accensetur, quæ infra tertium, & quartum Sæculum emersere. Primus Episcopus S. Gregorius statuitur Sæculo tertio sub Diocletiano, & Maximiano passus, adhuc à Pirro (3), qui quoscunque diuturna industria invenit, exactè recensuit, & de quibus nil invenire valuit, divinavit. Eustachii hujus memoria nulla, nec Scripto consignata, nec Traditione deducta.

5 Insuper ineunte Sæculo secundo celebratum Concilium adstruitur persecutione maximè ingravescente, quæ à quarto fortassis Trajani anno ad prima usque Hadriani decennalia, ultra annos 20. protensa per universas Romani Imperii Provincias Ecclesiam afflixit. Hoc ne otium in Sicilia tunc Christianis, ut sub gladio, & tortore novas doctrinas comminiscerentur, & errores cuderent? Hæc Sanctissimis Insulæ Episcopis securitas, quos primò Ethnica feritas impetere solita, quò Pastoribus excussis Gregem Christi dissiparet, ut eis ex omni Civitate in unum congregari datum, Conventus indicere, Dogmata examinare, quod nec unius diei opus, nec inquieti cordis cura est? adeò ne pacata tempora, ut Sedis Apostolicæ Legatus tutò adveniret, disputaret, & convictus in consessu Heracleon, rubore nimio, terrore nullo perculsus, navim conscendens evaserit? Validæ igitur conjecturæ Veterum silentium adjuvant, quo efficaciter Concilium illud expungat, quòd neque certus, neque dubius, sed ignotus omnino Scriptoribus cunctis locus suspectum cordatis efficit.

6 Validius ex Parachronismo ar-

(1) *Inst.5.c.2.(2) Isag.c.38.(3) Not.IV. Eccl.Lilyb.*

argumentum depromitur; nam, *ubi temporum ratio non cohæret, ibi nec Historia quidem vera esse potest*, ex Tatiano (1). Cùm igitur Heracleonem Valentini asseclam fuisse indubium sit, à Valentinianæ hæresis Epocha exordiendum. Valentinus igitur quamvis sub Antonino Pio prodierit, teste Tertulliano [2], in Occidente tamen ignotus anteHygini Romani Pontificis tempora, qui annum quadragesimumprimum vidit, ut docet Pagius (3), & Natalis Alexander (4), aut potiùs sub Pio, anno 145., ut ex Eusebio tenet Baronius (5). Romam quippe tunc primò veniens, ad plures annos Catholicam professionem simulavit, & sub ovina pelle Lupus delituit, quousque pluries relapsum ultimò ab Ecclesia facessere jussit Eleutherius.

7 Heracleon Valentini quidem Sectator, non discipulus; Magistrum enim secundum habuit, qui Ptolomæum audivit; & hic à Valentino virus hauserat, ut ratiocinatur Alphonsus de Castro (6), qui proinde Heracleonem ad annum 154. constituit. Ptolomæi nihilominus socium fuisse innuit Irenæus (7); quorum, Baronio teste (8), nedum commentarios legisse, sed & cum illis congressus se habuisse fatetur. Hinc rite florentis Irenæi temporibus addicendus Heracleon. Claruisse autem constat sub Commodo Cæsare, & Eleuthetio Pontifice, adeoque post annum 170., undè Baronius ad annum 175. (9), ex eo quòd Irenæus seriem Romanorum Pontificum recensens, à Petro usque ad Eleutherium produxit, perspicuè colligendum sentit, eiusdem Sedis tempore adversus illos Hæreticos elucubrationes suas edidisse. Heracleonem igitur sub Alexandro, ut probabile reputat Pagius, in Provinciali Siciliæ Synodo damnatum adstruere, aut anno 125. sub Xysto, ut placuit Mongitorio, manifestum Chronologiæ errorem implicat. Siculum ergo incerti loci Concilium subdititium censeo; & primò monstri illius sibilos non audisse, quod Prædestinatus contendit, assertæ fidei gloriæ in Concilio, quod sine lapsu nemo propugnet, Siculis anteferendum. Denique generaliter spuria habet Concilia primis tribus Ecclesiæ sæculis celebrata insignis Criticus Dupin (10), & Prædestinatum à P. Sirmondo editum constanter reprobat. Hæc ejus verba: *Propterea non legimus in Authoribus fide dignis Concilia convocata fuisse ad damnandos primos Hæreticos, ut Simonianos, Carpocratianos, &c. Horum Hæreticorum errores horrebant omnes Christiani; eorum Authores, & Defensores spectabant tamquam homines excommunicatos, & ab Ecclesia separatos; ut non opus esset, quòd in Conciliis nominatim excommunicarentur.* Deinde in notis, V. *In Authoribus fide dignis*, subdit, *Author à P. Sirmondo editus sub hoc titulo, Prædestinatus, mentionem facit quorundam Conciliorum adversùs hos antiquos Hæreticos habitorum; ut Author est recentior, fide minimè dignus.*

8 Anno Christi 116. Alexandrum sanguine fuso ad superos elatum Xystus excepit, etiam Romanus. Sub eo Formatarum Literarum origo; mos enim inductus, ut

 ad

(1) *Orat.adv.Græc.t.1.Bibl.PP.Græcolatin.* [2] *præscr.c.30.*(3) *in Hygino.* [4] *Sæc. 2. c. 3. art. 6.* (5) *ad an. 145. n. 1.* (6) *de Herac.* (7) *l. 2. c. 4.* [8] *n. 34.* (9) *n. 24.* (10) *tom. 1. Bibl. Eccl.Latin. edit. de Conc. in 1. Eccl.Sæcul.*

ad propria remeantes Episcopi ab Apostolica Sede, pro unius communionis societate testanda, salutationis literas ad plebem deferrent; sine quibus recipi nefas, ut affirmat Optatus Milevitanus (1). Hæ temporis tractu nuncupatæ etiam communicatoriæ, ex Augustino (2); Canonicæ, apud Atticum (3), Pacificæ, ex Concilio Chalcedonensi (4); Ecclesiasticæ, ex Theophilo Episcopo Alexandrino (5). Xysto Martyrio Vitam consignante anno 126. suffectus Thelesphorus, origine Græcus, professione Anachoreta, qui pari mortis triumpho è vivis excessit, & in Petri Cathedra sedit Hyginus Græcus, primus inter Romanos Pontifices, qui in pace quieverit.

9 Anno Christi 141. decedentis Hygini Sedem Pius Italus occupavit; cui primò editum, de celebrando Paschate die Dominico, Decretum Veteres tribuere cum Baronio [6], donec Epistolam ejus decretalem, undè monumentum hoc erutum, recentiores Critici, uti supposititiam expunxere, & impresso Eusebii Chronico, ubi id testatum, cum M. SS. collato, interpolationem detexerunt, ut videre est apud Pagium (7). Id Aniceto Syro tribuendum, qui post beatam Pii dormitionem, Romanam Cathedram tenuit anno 151., & contra Orientalium morem, qui quartadecima die Lunæ, Pascha celebrare consueverant, Dominicam diem subsequentem Resurrectionis Christi solemnem Occidentalibus indixit.

10 Hinc septimo ejus Pontificatus anno S. Polycarpus Smyrnensium Episcopus Romam venit, & cum Aniceto de legitima celebrandi Paschatis die controversiam habuit; sed pace utrimque sanctè servata neuter alteri a propria sententia recessum suadere potuit; quod ex insigni fragmento S. Irenæi apud Eusebium (8) legitur: *Cum Beatus Polycarpus, Aniceto Episcopatum administrante, Romam advenisset; cumque ille, & Anicetus de aliis rebus, de quibus inter se discrepabant, pauca contulissent, confestim pax fuit inter eos conciliata; quin pro hoc festo observando, quod controversiæ caput videbatur, charitatis vincula nentiquam ruperunt. Neque tamen Anicetus Polycarpo poterat persuadere, ut suum observandi morem deponeret; neque contra Polycarpus Aniceto persuasit, ut consuetudinem Asiaticam ullo modo observaret.* Sub Aniceto quarta Persecutio in Christianos, sub M. Aurelio, & L. Vero excitata, qua anno 161. Martyrio Laureatus vacuam Sotero Campano sedem dimisit, qui anno 170. in pace obdormiens Eleutherio Græco cessit.

11 Anno 185. Victor natione Afer post Eleutherii decessum ordinatus est. Eo Ecclesiam Gubernante exarsit diu sub decessoribus pressa de Paschatis celebrandi die cum Asiaticis contentio, & cum Occidentali Ecclesia pax disrupta. In utroque Orbe passim celebrata Concilia, quorum monumenta apud Eusebium. In Oriente Palæstinum Cæsareæ cum Occidentalibus sentiendum decrevit; Ephesinum sub Policrate Episcopo in quartadecimana traditione perstitit. Hinc contumaces Asiæ Episcopos Vi-

(1) *Apud Pagium in Xysto.* [2] *Ep.* 163. *ad Eleusium, & soc.* [3] *tom.* 2. *Conc. post Chalcedon.* (4) *c.* 11. [5] *in fin.* 3. *Epist. Paschal.* (6) *ad an.* 159. (7) *in Pio.* (8) *l.* 5. *c.* 24.

Victor anathematis vinculo, sive comminato, ut docet Natalis Alexander, sive lato, ut refert Eusebius, perstrinxit. Irenæi tamen precibus Ecclesiasticum fulmen, aut jactum avertisse, aut jaciendum suspendisse, omnes conveniunt; de quo Pagius. Victori in Osculo Domini quiescenti successor datus anno 197. Zephirinus Romanus.

## §. II.

## ECCLESIÆ SICULÆ PERSECUTIONES.

1 Trajano Cæsare, tertia Ecclesiæ persecutio invaluit, anno Imperii X., ex Eusebio (1), Baronius [2] tamen, cum Plinium secundum, cujus relatu (3) de Christianorum moribus Trajanus cædem emolliit, in Bithynia Proconsulem statuat anno 104., & ex ejus Epistolæ verbis Christianos ante triennium in crimen vocatos fuisse pateat; persecutionem hanc sub prima secundi Sæculi luce exortam asserit; & subscribit Pagius (4); inde affirmans ab Eusebio anno Imperii X. adjudicatam, quia tunc magis aucta. Ut ut sit, ad tempora usque Imperantis Hadriani protractam omnes fatentur, qui nullo sanè edicto in Christianos edito, ut testatur Tertullianus [5], quam invenit nihilominus Persecutionem non intercidit, nisi primò decennalium suorum occasione arrepta. Trajanus ergo, Plinio secundo Bithyniæ Proconsule movente, edixit, Christianos conquirendos non esse; si deferantur, puniendos. Hinc crudeliùs contra Cæsaris mentem debacchata persecutorum sævitia, quos enim priùs afferræ dumtaxat Christianæ Religionis insimulatos deferebant, postmodum effictis criminibus obrutos rapiebant ad Tribunal. Edictum hujusmodi Tertullianus (6) irridet, aut irascitur: *O sententiam necessitate confusam! Negat inquirendos, ut Innocentes; mandat puniendos ut Nocentes; parcit, & sævit; dissimulat, & animadvertit. Quid temetipsum censura circumvenis? Si damnas, cur non & inquiris? Si non inquiris, cur & non absolvis?*

2 Celeberrimus, quem noverimus, hac Persecutione in Sicilia sublatum, Pancratius ab Apostolicis temporibus Tauromenii Episcopus, quem ad extremam senectutem pervenisse, Nicephorus testatur. Hic ex Menæis Patriâ Antiochenus, ex Actis Evagrii Ponticus, ex Vico Pyrgisci, à B. Petro Apostolo in Insulâ missus, post propagati latè Evangelii gloriam, Lysonis Oraculo, Epistola ad Idoli collum alligata, imperatum silentium, Phalconis templum Crucis signo subrutum, ac prodigia copiosa Idololatrarum excita rabie ad necem tractus est. Archagathus enim quidam comitatis fuco Pancratium ad epulas invitatum, & de Christo loquentem, post minas, post verbera, ut allatum Idolum coleret, invictum Christi Athletam fustibus, & lapidibus contusum demum gladio trucidat; quamvis lapidibus impetitum mortem subiisse asserat Gre-

(1) *In Chronic.* (2) *ann.* 100. *n.* 6. (3) *l.* 10. *Ep.* 98. [4] *in Evaristo.* [5] *Apologet. c.* 3. (6) *Apolog. c.* 2.

gorius Byzantinus, qui prolixa Oratione Stephano Protomartyri comparem facit. Corpus ab occisoribus in occulta voragine projectum diu latere non potuit; sed divini fulgoris indicio repertum Discipuli sepeliunt. Nono Sæculo Tumulus adeò fidelibus celeber, ut S. Elias Junior Rhegio Tauromenium transfretarit, vitâ sub obsidentiû Saracenorum injuriis in discrimen adducta, ut Sacra Ossa veneraretur. Quid inde actum, Sæculorum invidia ignotum; alii Saracenis Urbem occupantibus, Reliquias à Christianis conditas, & rumore quodam ad nos usque deferente, in loco, ubi nunc S. Francisci Ædes, affirmant, alii Romam translatas.

3 Sub eodem Trajano Messanæ Barchyrium Episcopum, cui suffectus Eleutherius, opinatur Morabitus (1); sed nec sibi ipsi satis constans est, nec Actorum inopia, ubi fixum pedem ponat, se invenire fatetur.

4 Hadriano Imperante, quem Decessoris in Christianos persecutionem non revocasse, Provinciarum Præfectis præcepisse fuit, Eleutherius Episcopus, Anthia Mater, & Coræbus Præfectus pro Christo dimicarunt. Ubi natus, ubi passus, cujus Civitatis Episcopus Eleutherius, magna apud Scriptores concertatio. Menologia (2) Romanum testantur: *Hic fuit ex Urbe Roma, Matrem habens Anthiam, Christi fidem à Paulo edoctam, hic à Pontifice Aniceto Sacras Literas edoctus* &c. Idem habent Metaphrastes [3], & Nicephorus (4), qui viginti annos natum in Episcopum delectum sub. dit: sed certè Eleutherius, ab Aniceto, qui anno 151. sedit, eruditus, pati sub Hadriano non potuit, cujus Imperium annum Christi 138. non superavit. Nec Baronius (5), qui Nicephorum, vel Transcriptores oscitantiæ arguit, quòd pro Anacleto, Anicetum reposuerint, aliquid præter divinationem suam profert: *puto irrepsisse mendum, & pro Anacleto Anicetum posuisse, qui descripserunt.* Quòd si glossa hujusmodi obtineat, Nicephorum sanè corriget, sed cum Menologio concordem non reddet, in quo iisdem verbis descriptus Eleutherius ad 8. Kal. Januarii constituitur, qui non hujus dies.

5 Sulpicio subinde suborta Morabito, quòd alius Eleutherius iste fuerit, & ex Græci nominis interpretatione, Latinis dictus Liberalis, cujus festum 3. Kal. Januarii incidit, & subdubitare videtur adhuc Philippus Ferrarius (6): *Canusii S. Liberalis Episcopi & Martyris, qui grecè Eleutherius nominatur, colitur die 30. Decembris, cui nonnulla ex Actis S. Eleutherii Episcopi Illyrici cõfusis convenire animadvertimus. Egent itaque emendatione Acta hujus Eleutherii in multis.* Et propendere videtur Baronius citatus. Potiùs ergo, patrio amore ductus, Messanensem arbitratus est Eleutherium, de quo agimus; cùm enim apud Petrum de Natalibus (7) legisset: *Ejus Pater nobilis Senator, dum decederet, matri puerum commendavit. Illa verò Christianissima filium Sacris Literis erudiendum cuidam Episcopo tradidit.* Facilè credidit Episcopum illum Barchyrium suum fuisse; sed hæc hario-la-

(1) *ad ann.* 100. *Annal. Eccl. Mess.* (2) *ad* 8. *Kal. Jan.* (3) *apud Sur.* 18. *Apr.* [4] *l.* 3. *c.* 29. [5] *not. ad Martyrol. die* 18. *Apr. & in Ann. an.* 140. *n.* 4. (6) *Catal. SS. Ital. annotat. ad Eleuther.* 18. *Apr.* [7] *l.* 4. *c.* 62.

latio eſt; nil enim obſtat, quin Epiſcopi appellatione, priſci illius temporis vocabulo, Romanus Pontifex veniat. Nec magis ſolidè Inchoferus (1) hariolatur, in Oriente natum fuiſſe ex Patre Conſulari Syriæ Præſide, quod expungit Pirrus (2); quin Salvagus (3), qui pro Inchofero aleam dejecit, conjecturam qualemcunque pro aſſertione firmanda attulerit, quamvis nil obſtare, quin fuerit, rectè convincat. Incertus igitur nobis locus, in quo Mundo natus; ſatis Siciliæ gloriæ conſultum, ſi in ea Chriſto renatum ſolidè oſtendamus.

6 Meſſanæ paſſum ſcribit Beda in ſuo Martyrologio (4), ſed in Aquileja; in qua certè Provincia Meſſanam nullam Geographi indigitant, *nec in tabulis ipſis*, ſubdit eruditè Baronius adductus, *Aquilejenſis Eccleſiæ aliquid hujuſmodi legitur. Agitur tamen in illis* 15. *Kal. Aprilis de Eleutherio, & Lucia, ſed planè diverſus eſt ille ab hoc, de quo agimus.* Hinc ſphalma irrepſiſſe Typographi incuria, & pro Aquileja, Siciliam ſubrogandam, benè arbitratur Morabitus, & Molani (5) verba adducit, quibus univerſim erroribus ſcatere Bedæ Martyrologium teſtatur: *Adverti præterea velim, Bedæ exemplar, quo Typographi uſi ſunt, valde mendoſum fuiſſe; quod locorum aliquot obſervatione declarabo.... Per has, ſimileſque maculas dectiſſimo Bedæ Martyrologio ſua deperit gravitas, quæ, ut ei aliquando reſtituatur in integrum, multum juvarent vetuſta ſcriptaque exemplaria.*

7 Ejuſdem furfuris eſt quod legitur in Martyrologiis Uſuardi, Adonis, & Florentii Viguerii: Meſſanæ in Apulia, quod aliqui emollire conati ſcripſere Miſeni, Meſenæ, Meſſapiæ; & Franciſcus Maurolycus Mathematicis ſatis addictus, Miſenum in Apulia nullum comperiens, libitu ſuo, quaſi Geographiæ, non Martyrum Tabulas deſcriberet, in Martyrologio ſuo appoſuit: *Miſeni in Campania* [8]. Sed neque in Campania, neque in Salentinis, neque in Apulia Martyres hujuſmodi coluntur, neque in iis Regionibus, ſi alibi colantur, memoria. Unde Ferrarius [7]. *Illud etiam de S. Eleutherio Epiſcopo, & Anthia Matre Martyribus Meſſanæ, vel Meſſapiæ, ad diem* 18. *Aprilis; corrigendum eſſet, ſublata dictione Meſſapiæ; Meſſapia enim in Salentinis eſt, in quibus, neque in Apulia, nulla prædictorum Sanctorum memoria viget. Meſſanæ autem in Sicilia de illis agitur, uti ex Tabulis Eccleſiæ Meſſanenſis.* Pariter emendanda Bedæ, Uſuardi, Adonis, & aliorum Martyrologia, in quibus Meſſana in alia regione, quàm Sicilia, collocata legitur, ſentit P. Octavius Cajetanus (8). *In eorum Martyrologiis legitur: apud Meſſanam Apuliæ Civitatem Natalis SS. MM. Eleutherii Epiſcopi, & Anthiæ Matris ejus; dele vocem, Apuliæ, & ſubſtitue, Siciliæ; erratum enim Geographi omnes manifeſtum convincunt; Nam Meſſana Civitas in Sicilia juxta Promontorium Pelorum Calabriam contra ſita: In Apulia verò cognominem Urbem fuiſſe nullus, quòd ſciam, Scriptorum veterum, recentiorumque commemorat.*

8 Doleo quidem tam varium apud

(1) *c.36.de Epiſtola B.V.* (2) *Notit.2.Eccl.Meſſ.* (3) *Apolog.§.* 58. (4) *ad diem* 18. *Aprilis.* (5) *Suplem.ad Martyrol.Adon.c.4.* (6) *Cajet in Animad.ad Vit.* (7) *in nov.Topograph.prop.fin.* (8) *in Not.ad vit.*

apud Authores ex vocum cognatione vel Librariorum inscitia locum passionis Martyribus his assignari; nil tamen hæreo, cum fato veluti quodam eorum Acta abripi videam, adeo ut nec ipsorummet nominibus Transcriptores pepercerint. Qui nobis Eleutherius, Bellino Eleucius, aliis Seleucius; Mater, quæ nobis Anthia, Metaphrasti Evanthia, Bellino Ancta; aliis Ancia; Pontifex, qui docuisse perhibetur, Nicephoro, & Metaphrasti Anicetus, Baronio Anacletus. Præfectum in passione socium nos Coræbum dicimus, Acta Rheatina Consibonem, MetaphrastesCorobonem, Nicephorus Cerobonem, Equilius Coreborem, Beda Coræ-vum, alii pessimè Cerberum, quod miratur Animadversor in Acta P. Caietani. Messanæ autem in Sicilia eorum Martyrium constituendum censeo, cui & Authores suffragantur, & Messanensis Ecclesiæ diuturnus cōsensus firmat; favorabiliter enim judicandum de rebus post diuturnam possessionem sentio cum Mabillonio (1). Nec Baronius, qui pro suo erga Siculas res tepore hallucinatos reputat, qui ita senserint, & satis frigidè nullam Messanæ memoriam extare audacter profert, apud Eruditos obtinuit, eum, facto refragante, Authori cuilibet fides minuatur. Unde Ferrarius (2): *Miror autem hic Baronium in Annotationibus affirmare, nullam extare memoriam hujus Sancti Eleutherii, cum ibi præcipuè cum Anthia Matre colatur, ut Tabulæ Messanensis Ecclesiæ testantur*, quibus & nos solidiora monumenta adjungemus.

9 Magnum negotium Pirro [3] facessit authoritas Francisci Maurolyci, qui & ipse Messanensis Miseni in Campania, Natalem Eleutherii consignat, & stuporem saltem P. Cajetano (4) injecit: *miramur Virum Messanensem tanti Pontificis honore Patriam exuisse*; cum potiùs Viri ingenuitatem mirari debuerint, qui Patriam suam discepantium Criterio subdere noluit, aliorum vestigia, quamuis nutantia, premere contentus: erroris nihilominus originem citatus Salvagus (5) eruit: *Maurolycus iisMartyrologiis usus est, quæ eodem periculo variarunt; antiquiora sanè exemplaria Maurolyci Messanam habent, licet in Apulia sitam, in quo sicut & in aliis errarunt. Ita habet exemplar Venetum apud Hieronymum Cavalcalupum anno* 1564. *editum; ita alterum antiquius ad Signum Spei ibidem editum anno* 1549. *Non ergo mirum, si ad suam Patriam trahere noluerit Eleutherium, de quo tam variè sentirent alii, cum præsertim & Martyrologia, quibus usus est, errorem continerent.*

10 Messanensem Episcopum fuisse, constat ex antiquo Breviario Gallicano, cujus diuturnus in prisca Messanensi Ecclesia usus; tum in Oratione: *Deus, qui nos concedis B. Eleutherii Messanensis Antistitis, & Anthiæ Matris ejus Martyrium celebrare, præsta quæsumus, ut pro ejusdem Civitatis tutela* &c. tum ex lectione prima Officii: *Eleutherius Messanensis Episcopus fuit, & Anthia ejus Mater, qui cum Vitæ Sanctimonia, & Miraculorum virtute illustres existerent, Hadriano Principi Christianos esse, & contra leges vivere Augustorum, denunciatum est.* An autem Messanam ex Illyrico, ubi priùs

(1) *de re diplom.l.3.cap.6.* (2) *Catal.SS.Ital.adnot.ad S. Eleuth.* (3) *Not.* 2. *Eccl.Mess.* (4) *In animadv.ad Vit.S.Eleuth.c.*1. (5) *Apolog.S.*4.

priùs Sedem fixerat, translatus, adeoque eo titulo à Scriptoribus indigitetur, non nimis ad rem nostram conducit; id quidem satis probabile visum P. Cajetano (1). *Nec discrepare videtur Romanum Martyrologium; quanquam enim dicat Eleutherium Episcopum Illyriei; attamen diem ejus natalem Messanæ tribuit. An Eleutherius Illyrici Episcopus primùm ordinatus, deinde Messanam in Siciliam translatus est?.... quam fortasse ob rem Galesinus in Martyrologio suo ita scripsit: Messanæ SS.MM. Eleutherii Episcopi, & Anthiæ Matris*, vocemque Illyrici, ut vides, sustulit.

11 Eleutherius igitur post æneum stratum subjecto igne candens, Craticulas, Sartagines, Clibanum, Deo intercidente flammam ignis, feliciter excussa, & diutinam inediam, Columba in carcere cibum deferente, superatam, cutru per salebras innoxiè raptatus, bestiis expositus, quæ feritatem exuere, demum Tortoris gladio capite minutus est. Ante ipsum Coræbus Præfectus detruncatus, quem cumulata prodigia ex Carnifice Martyrem effecere. Mox à filio, Anthia Mater in Cadaveris amplexus ruens pariter trucidata. Hæc summarim excerpta ex Græcis Actis, quibus plenam fidem satis apud Eruditos demerentur prolixi, quos intrudunt, & Metaphrastici Beatorum Martyrum cum Judice Dialogismi [2], minacia, & injuriosa ad Hadrianum responsa [3], & tam frequens nominum varietas (4), quod recensuimus. Corpora Reate in Italia translata.

12 Passionis annus incertus, Translationis autem omnino ignotus, & occasio, & Author. Breviarium Gallicanum (5) passos consignat 2. Imperantis Hadriani anno, & Christi, juxta Epocham, quam sequitur, 121., Morabitus ad revertentis ex Oriente Cæsaris, quando & Siciliam tetigit, tempora refert, si Messanæ passi; siquidem nullo livore excipit eos, qui Messanæ comprehensos, Romam amandatos volunt; cum inde ejus prurigo solatium capiat, qua Messanenses auspicatur; Messanenses enim ex Senatus Romani Privilegio, Appio Cl. & Quinto Fab. Coss. 265. ante natum Christum anno, Romana Civitate donati; hinc illud Baronii (6) usurpat: *Verùm & illud ex ejusdem Plinii literis observandum est, Proconsules sic animadvertere solitos in Christianos quoslibet, ut tamen quos novissent Romana Civitate donatos, Romam more majorum transmitterent judicandos.* Fides apud Authores sit.

13 Anno Imperii sui decimo, & Christi 127., Hadriano Cæsare primò Decennalia celebrante, Ecclesiæ qualicunque pace quiescere datum à diuturna Persecutione. Ex ejus quippe Epistola ad Minutium Fundanum apud Eusebium [7] clarè colligitur, benè deinceps haberi Christianos ab Imperatore decretum: *Si à quoquam Christiani homines in judicium vocentur, ostendenturque aliquid contra leges designasse, tu ita, prout criminis ratio, & modus postulat, decidas, statuasque. At Mehercule! si quisquam quò eos calumnietur, istud tentaverit: tu ejusmodi hominem pro nequitia, & crudelitate severè coarguito; atque adeò sedulò prospicito, ut debitas pœnas luat.* Ea-

I dem

(1) *In Animadv. ad Vit.* (2) *ex Tillemont. t.2.* (3) *ex Baillet. t.5.* [4] *& Dupin. præf. 2. p.4.* (5) *lect.3.* [6] *ad an. 104.* (7) *l.4. c.9.*

dem quiete sub Antonino Pio posita Ecclesia, quem multa pro Christianis Rescripta edidisse, testatur Baronius (1).

14 Verùm Provinciarum Præsides non adeò Imperatorum Edictis ex animo obsequentes, quin occulta in Christianos rabie acti, faciles Ethnicorum insusurrationibus aures præberent, quò Christianos prætextis criminibus insequerentur, & in crimen vocarent notissimam Innocentiam: *Licèt autem*, inquit Baronius (2), *ejusmodi Rescriptum dederit Hadrianus, haud tamen putamus, persecutionem in Christianos omnino cessasse; etenim & si nomen non esset in culpa, plurimas tamen calumnias in eos à Gentilibus strui solitas, easque libentissimè audiri à Judicibus.*

15 Sed diu frui ea pace non licuit; post annum enim Christi 161. postremum sedentis Aniceti, sub M. Aurelio, & L. Vero quarta Ecclesiæ Persecutio excitata; quamvis solemni nullo Cæsarum Edicto indicta, sed privatis tantummodo mandatis ad Provinciarum Præfectos, cum rescribendum fuerat, datis, ut Natalis Alexander (3), & Tillemontius (4), qui exinde Martyrum Acta, in quibus Edictum in Christianos per M. Aurelium prolatum memoratur, suspecta habet. Et quidem eòusque efferbuit, ut Commodo Imperatore, quo nemo inter Cæsares truculentior, quiescente indiguisse narret Baronius (5); adhuc enim M. Aurelio vita functo perseverasse testatur Theophilus Episcopus Alexandrinus (6), nempe post annum Christi 180.

16 Ex pluribus, quos in Sicilia prolixus turbo hùc excussit, superstites memoriæ Victor, & Corona, quam Græci Stephanam (idem quippe audit) appellant. Id apertè testantur D. Antoninus (7), Jacobus de Voragine [8], Petrus de Natalibus [9], & Acta Ecclesiæ Feltriensis (10), in qua Corpora quiescunt. Signanter autem Messanæ passos indicant Manerbius Abbas Camaldulensis (11), M. Marulus (12), & P. Octavius Cajetanus in Idea (13); quamvis opus, quod juxta Ideam Author extruxit, Animadversor contrà Ideam subruerit, & vertarit in utrum. Acta illa Feltria mihi quidem, & Eruditis quibusvis suspecta, cum Sebastianum Siciliæ Præsidem mandatum ab Imperatoribus accepisse innuant, ut Christianos insequeretur, illis verbis: *Dominorum nostrorum Edictis*; quod certè anno Christi 164. Aurelio, & Vero Imperantibus, incohærens ex Tillemontio citato (14). Affectata etiam illa Dialogorum Sebastianum inter, & Victorem frequentia, Præsidis interrogatio ad militem; Diaconus ne esset, an Lector; Martyris sub gladio vaticinium; Legatos infra septem dies, Carnifices infra duodecim, Præsidem infra viginti quatuor, forensium inhibitionum more, perituros, Metaphrasticæ panegyris colorem referunt, & Rhetoricæ amplificationis suspicionem.

17 Victori in fide persistenti admotus ignis, propinatum venenum,

(1) *ad an.* 154. (2) *ad an.* 128. (3) *Sæc.* 2. *c.* 1. [4] *tom.* 2. *memor.* (5) *ad an.* 182, *n.* 5. (6) *ad Autholycum l.* 3. [7] *p.* 1. *tit.* 7. *c.* 6. §. 9. (8) *in Vit. SS. die* 18. *Decemb.* [9] *l.* 8. *c.* 90. (10) *apud P. Cajet.* (11) *in Vit. SS.* (12) *l.* 5. *c.* 6. (13) *in Indic. Topic. & Martyrolog. Sæcul.* [14] *& Not.* 5. *de persec. Trajan. & Hadriani.*

num, confracti digiti, distracti nervi, effossi oculi, evulsa pellis, demum caput amputatum, unde lac cum sanguine fluxit. Eo tormenta alacriter perferente, Corona militis cujusdam uxor, annos decem, & septem nata, Coronas duas è Cœlo Angelos desilientes deferre conspicata, Christianam se professa est, & inclinatis, ac laxatis arboribus duabus discerpta. Corpora post triennium Feltrium in Italia delata. Eorum cultus pridie Idus Maji.

18 Coronam Messanensem asserit Morabitus (1); certè Siculam P. Cajetanus (2). De Victore dissidium alii in Cilicia, alii in Syria ortum dicunt; sed non insulsè deceptos affirmat citatus Morabitus, quasi cognatione nominis Siciliam transcribere debuerint. Animadversor in Vitam apud Cajetanum, Feltrienses sibi Victorem vindicare ait, fama à majoribus tradita; licèt Siciliam non facilè possessione sua spoliandam censeat: *Verùm, quod in antiqua hujus gloriæ possessione sumus, externis etiam faventibus, acriter retinemus. Religio fuit, non cognita adhuc causa, ultro cedere; restituturi, cum quis judicata lite nos pellit.* Ego sanè unde à Feltriensibus adjudicatum sibi Victorem didicerit, non novi; nec difficilè Morabito adstipulor, qui Feltrienses de lite non cogitantes ab Animadversore in contentionem rapi conqueritur. Inscriptiones quatuor ex loculo Feltriensi, in quo Sacra pignora, aliæq; Reliquiæ asservatæ, Animadversor exactè transcribit, in iis monumentum nullum, unde Civem sibi asfertum deducam, invenio. Hymnum ejusdem Ecclesiæ, qui in Beatorum Martyrum Victoris, & Coronæ solemniis canitur, adducit Morabitus: de Trinacria ibi quidem mentio, ubi passi:

*Dux hos Trinacriæ*
*Non quatit horridus.*

de Feltrio, ubi nati, nec litera, nec apex. Uni ergone Animadversori mens Feltriensium revelata, & nota traditio? Ea, quæ vero similitudinem generant, & Traditionem à tumore secernunt, recensentur apud Criticos: Columnæ, Inscriptiones, Ædificia, Mausolæa, Icones, Cantica, publica Instrumenta, Martyrologia, Kalendaria, & hujusmodi Ecclesiastica monumenta, quorum nulla apud Feltrios de Victore, tanquam Cive, extare compertum.

19 Hinc Siculum censeo; & facilè in id descendo, quòd Messanensis cum Morabito: nec spernendum, quod ex Petro de Natalibus, & Jacobo de Voragine adducit; Victorem nempe à Christianis in Civitate sua sepultum. Id certè non de Feltrio, quò post triennium translatum Corpus; sed de Messana intelligendum, ubi passus Martyr, & primò conditus; sed in re tam antiqua nonnisi conjecturis agendum.

20 Alios, & quamplures in Sicilia, & ex Siculis, secundi Sæculi Persecutionibus sublatos, extra dubitationis aleam constituo, quod & de Orbis Universi Ecclesiis, quoties de Persecutionibus sermo, Baronius affirmat, post eos, quorum monumenta superstant, recensitos. Ethnici culpandi, & Barbari, quòd memoria obsoleverit.

I 3 QUI-

(1) *Annal. Mess. ad an.* 164. (2) *In Vit.*

## §. III.

## QUINAM SANCTITATE, ET DOCTRINA FLORUERINT IN SICILIA.

1 Morum Sanctitate conspicuos hoc Sæculo Tauromenitana Ecclesia habuit Evagrium, & Maximum. Incertæ utcrque Patriæ. Græcus tamen pluribus Evagrius ex nomine, & Actis Pancratii Græco sermone conscriptis. Sed non solidum undequaq; argumentum:cum eo ævo Græcum idioma in Sicilia obtinuisse ex publicis monumentis alibi ostenderimus. Facilè Siculus Maximus, quem B. Petrus Apostolus Tauromenii baptizavit, ex Metaphraste (1): *Tauromenii cum esset S. Petrus, Maximum Cathechesi probè instructum baptizavit, & Episcopum ordinavit, constituitque, ut Pancratio succederet.* Non ergo à Pancratio, vel Petro in Siciliam deductus, cui Veterani in fide milites ad Evangelium propagandum comites deligendi, non Cathecumenus. Acta totum obscura; sed satis superque Evagrium Pancratii testimonium commendat, à quo dignus judicatus, qui Sanctis illis nascentis Ecclesiæ exordiis, post ipsum in Cathedra sederet, Maximum autem nonnisi sublimi morum, & Evangelicæ Doctrinæ laude celebrem Petrus Apostolus mox à Baptismate recentis Ecclesiæ Pastorem inaugurasset.

2 Utramque Sæculi paginam, Sanctitate, & literis famosus implet Pantænus, cui festus dies 7. Julii in Martyrologio Romano, Bedæ, Usuardi, Adonis, consignatus. Hoc de ipso præconium Eusebius (2) protulit; *Pantænus vir omni humanitatis literatura præstantissimus, institutioni Christianorum illic, Alexandriæ, præficitur.... disciplina Philosophorum, qui Stoici appellati sunt, institutus, eodem temporis momento cum primis excelluisse traditur..... erant autem ad id temporis complures verbi Prædicatores, & Fideles Nuncii, qui divino Apostolorum imitandorum studio inflammati, magna adjumenta, tum ad Verbum Dei in animis hominum exædificandum, tùm ad idem augendum afferebant, quorum è numero unus erat Pantænus.*

3 Incertam patriam ipsi Regionem assignat Cave (3), Siculum affirmant Valesius (4), Gentianus Hervetus (5), Morerius, (6), Dupin (7), & alii passim. Ducuntur ex Clementis Alexandrini (8), qui Pantæno Magistro gloriatur, verbis hujusmodi: *Sicula re vera Apis, Prophetici, & Apostolici prati flores decerpens, fyncerum quandam, & in Oriente agnitionem ingeneravit eorum, qui audiebant, animis.*

4 Futilem conjecturam hanc ex Clementis Elogio deductam existimavit P. Octavius Cajetanus (9), & à Gentiano Herveto perperam distortis verbis intrusam; quamvis solidiorem se votis omnibus expetere innuat, exclamans: *utinam veri*

(1) *apud Sur. die* 29. *Jun.* (2) *l.* 5. *c.* 10. (3) *Ist. lit. Sæc.* 2. *ad an.* 187. (4) *ad Not. in Euseb. c.* 17. (5) *Com. ad l.* 1. *Strom. Clem. Alex.* (6) *Dictionar. t.* 2. (7) *in Bibliot. t.* 1. (8) *l.* 1. *Strom.* (9) *in Idea.*

verè! Hinc Animadversor occasione, quæ Capillitium nullum apprehendendum offerret, quæsita, in Annotationibus ad Vitam S. Lucæ Abbatis, in qua Anonymus scriptor D. Ambrosium Siciliæ adjudicaret, recoctam crambem reposuit, & in Hervetum, cui nil certè cum Ambrosio, vel Luca commune, acriter debacchatur, qui Pantænum inter Siculos intruserit. Nullum ipsi solidum declamandi fundamentum; nisi Poetarum fragmenta quædam ad suppetias invocata, qui Siculæ Apis vocabulum in Parœmiam pro dicendi lepore quandoque usurparunt; quasi vox semel Parœmiosi usirata jus amiserit, ut alicubi nunquam propriam significationem referat. Poterat sanè & Græciam hujuscemodi argumento Xenophonte suo spoliare, qui Apis Attica dicitur; (quod æquè in Parœmiam invaluit) imo nec verè Attica, sicut Pantænus revera Sicula. Non immeritò igitur Siculi dolent, quòd Genticus Scriptor patriam gloriam minuat, cui exteri quique tam aptè prospiciunt, Parœmiam nullam, expensis Clementis verbis, agnoscentes.

5 Id fortè fucum inerudito homini fecit, quòd Clemens Alexandrinus, ipso Judice, de Pantæno scripsit: *ex Palæstina Hebræus ex alto ducta origine*. Sed difficultatem quidem prævenit; & excussit Hervetus citatus: *Sed videtur obstare, quod dicitur, eum ex Palæstina Hebræum ex alto ducta origine. Fieri autem potuit, ut esset quidem ex Palæstina oriundus, & Hebræus; natus tamen sit in Sicilia*: aliter nihilominus scopulum hunc declinavit Eruditissimus Dupinus (1), inter recentiores Sæculi hujus Criticos, primi subsellii Vir, scribit enim: *Pantænus Philosophus Stoicus in Sicilia natus ineunte Commodi Imperatoris Regno*; & in Annotationibus Verbo, in Sicilia natus, *à nonnullis Hebræus habitus est, sed errarunt; Clement enim de suo in Ægyptum præceptore loquens, qui Pantænus est, Stromatum libro primo, eum vocat Musam Siculam, quo judicatur eum fuisse Siculum; secus eum æquè benè appellasset Musam Atticam. Quem ex Magistris didicit Hebræum, alius est, quem in Palæstina audierat*. Ubi & conjecturam, qua Siculus evincitur, firmat, & adversantium objectionem elidit. Præstat sanè cum Dupinio sentire, quàm P. Cajetani, & Animadversoris cavillis inhærere; uterque enim Hervetum sugillat, quòd Clementis Alexandrini verba interpunxerit, & perperam explicarit; sed Jure, an injuria, non inquiro; fasces tamen submittant oportet Viro inter literatos Consulari, cui melius nota germana verborum interpretatio, quibus Clemens Doctores suos recensuit; *horum unus quidem in Græcia Jonicus; alius verò in Magna Græcia; alter eorum erat ex Cælesyria, alter ex Ægypto, alii autem ex Oriente, & ejus alter quidem Assyrius, alter verò ex Palæstina Hebræus ex alto ducta origine. Cum autem in eum ultimum incidissem, erat autem primus potestate, conquievi in Ægyptum, venans ea, quæ latuerant*.

6 Morabitus (2), cui adstipulatur Ragusa (3), facilè ex Siculo Messanensem credidit, genere quidem Hebræum, quæ gens per totum Orbem diffusa, ex Philone (4), adhuc

(1) *l. cit.* (2) *Annal. Eccl. Mess. ad an.* 185. (3) *Bibl. Vet. Sicil., & in Elog.* (4) *Libell. de Legat. ad Cajum.*

adhuc Siciliam incoluit; ex Agris autem Palæstinis, quos Messanæ circumfinitimos statuit Ptolomæus (1), & consonat Appianus (2), *Post hæc Palæstinos agros depopulatus est, & Lepidus frumentatum profectus illi obviat, amboque circa Messanam locavere castra.* Mihi quidem, si de Pantæno locutus Clemens ait; *ex Palæstina Hebræus*; Siculum suadent verba quæ subdit: *ex alto ducta originem*; non enim, si in Palæstina natus, oportuerat ex alto duci originem, ut diceretur Hebræus: genuinus ergo sensus est, quod Pantænus in Sicilia natus, si radicitus ejus investigetur origo, ex Palæstina oriundus, & Hebræus gente sit. At agros Palæstinos, Messanæ circumjacentes non adeò celebres existimo, quod Urbi locum præripiant; unde ex Agris potiùs, quàm ex Urbe appellationem Pantænus mereretur.

7 Pantænus igitur Siculus; Stoicus primò Philosophus, deinde sub Doctoribus Apostolorum discipulis, teste Photio (3), Theologus doctissimus effectus ad Indos prædicatum concessit; unde redux Evangelium Matthæi, quod apud ipsos Bartholomæus Apostolus reposuerat, Alexandriam retulisse fertur. Verbo, & Scriptis, rem Christianam juvit, quos Thesauri nomine Eusebius indigitat; *Iste Pantænus propter multa rectè facta, & virtutes eximias, tandem scholæ ibi, Alexandriæ, præficitur, qui tum Sermone coram, tum Scriptis divinorum institutum, & Religionis tanquam thesauros hominibus proposuit.* Quantus vir fuerit ex iis coniiciendum, quæ latè Eusebius prosequitur in Alexandrinæ Scholæ præconium; quòd nempe ad sua usque tempora, facrarum literarum, politioris doctrinæ, & eloquentiæ Mater habita. De Pantæno cum laude meminit Baronius (4), Hieronymus (5), & alii.

(1) *in Tabulis Siciliæ*. (2) *lib. 5. de civil. Rom. bell.* (3) *in Bibl. Cod. 118.* (4) *ad an. 185.* (5) *de Scriptor. Eccles.*

## §. IV.

## ECCLESIASTICÆ POLITIÆ ORDO.

1 In Siculis Ecclesiis, quas ab Apostolis constitutas probabile ex Traditione docuimus, frequentia hoc secundo Sæculo Interpontificia habemus; sive ex Persecutionibus, quæ excussis Episcopis, quotidie ingravescentes mitti Successores prohibuerint; sive deperdita Acta, eorum, qui sedere, nomina occultarint.

2 Tauromenii Evagrii, & Maximi superstat memoria, quorum uterque Pancratii Sedem occupasse traditur. An alter subdititius, an ambo, quis divinet? P. Octavius Cajetanus (1) suppositititum censet Evagrium, cujus Acta de Pancratio Græcæ fidei insimulat, Interpolatorum vitio, & insignē Anachronismum obtendit: Evagrio quippe præcepisse refertur Pancratius, ut eo decedente Romam peteret, à Petro Apostolo inaugurandus. Constat autem, Pancratium Traja-

(1) *In Vit. Pancrat. in Not.*

ni tempora attigisse, Petro longè priùs sub Nerone vitam Martyrio consignante. Sed cur integram subrogati in Episcopatu Evagrii historiam, uti spuriam, expungat, non video; cum faciliùs unius verbuli interpolatione emendata, quod Græci Transcriptoris, aut Latini Interpretis vitio irrepsit, Historiæ fides consisteret. Id certè consultiùs Pirri (1) Critica actum, qui ad Philippum Agyrensem ad Christianæ rei exordia revocandum, elegit potiùs Arcadium in Neronem convertere, quàm integræ Historiæ spongiam inducere. *Mihi profectò, aut unum, aut alterum potiùs verbum in Eusebiana illa Historia, vel expungendum, vel castigandum videtur, quàm D. Athanasii commentarium, vel integram Eusebii narrationem repellere, atque inter apocrypha recensere*. Potuit igitur Animadversor [2], fortè Pirro posterior, ad Apostolicam Petri Sedem Evagrium proficisci jussisse Pancratium, & ex oscitantia ad Apostolum Petrum missum scribi, sine scrupulo consignare.

3 Placidus Reina (3) Maximum Pancratio præmortuum asserit, & inde locus Evagrio, ut post Pancratium sederet; sed de facto accidisse quod evenire potuit, conjectura nulla, nec ratione suffulcit. Pirrus (4) utrumque sedisse affirmat; priùs quidem Evagrium, dein Maximum: *S. Maximum ab eodem D. Petro Tauromenii, cũ in itinere esset, consecratũ Episcopum ejus Urbis refert Metaphrastes.... sed inter Maximum, & Pancratium medius fuit Evagrius*. Hoc quidem longiùs abest à verosimili; Quomodò enim Pancratius, Maximo superstiti, & à B. Petro in successorem ordinato, Evagrium prætulisset? Simile quid in Lino, & Clemente vix feliciter Eruditi constituunt. Neuter certè P. Cajetani rationem ex Anachronismo erutam enervat. Res igitur in incerto est, & in lubrico. Non minus quippe Græcus, qui Acta Evagriana conscripsit, quàm Metaphrastes, qui Maximum in seriem retulit.

4 Messanæ sub Sæculi initio Eleutherius post Barchyrium sedisse traditur, in Cathedra successorem non video. Morabitus (5) hora undecima Alexandrum quendam Episcopum, & Martyrem vidit stantem in foro otiosum, quia nemo conduxerat, & in vineam suam duxit, Eleutherio decedente, Messanensem Sedem occupare. Ingenuus saltem, quòd jure primò occupantis sibi adjudicasse fatetur: *Mihi visus inspiratione condicere: Sume me, tuus sum; nec te carpent, qui malevoli, nam saltem illius sum, qui me primus accipiet*. Ipsum autem Alexandrum illum esse putat, quem sub Antonino Imperatore Romæ passum refert Petrus de Natalibus [6], cujus Acta transcribit. Qualecumque autem monumentũ eruisse testatur ex Libello Nicolai de Cosciis, qui in Thesauro Messanensis Ecclesiæ asservatur, ubi sub id temporis Alexander quidam in Episcoporum serie recensitus. Porrò Libellum hunc non omni prorsus fide destitutum existimo circa medium Sæculi quintidecimi exaratum, quem in eodem Thesauro se vidisse affirmat Georgius Gualterius [7] penè detritum ex M.S. in pergameno. Sed cum neque hic Author post tre-

(1) *Notit. Eccl. Panor.* (2) *In Acta Pancrat.* [3] *3. part. Not. Hist.* (4) *l. 2. Not. pro Eccl. Tauromen.* (5) *Annal. Mess. ad ann. 154.* (6) *l. 8. c. 103.* (7) *in Tab. Sicil.*

tredecim Sæcula, unde acceperit afferat, fides apud ipsum remaneat.

5 Hoc Sæculo Primatiæ Dignitatem in Sicilia fuisse contendit Morabitus (1), & Messanensi Episcopo adhærentem coniicit ex Actis S. Eleutherii in M. S. Codice Syracusano apud P. Cajetanum, ubi habetur: *Jam verò Eleutherius in administrationem Provinciæ, cui præpositus erat* &c. Provinciæ præponi nihil sibi, nisi privilegium Primatiæ, audire visum. Unde ictum declinare valeat P. Cajetanus [2], non video; cum ipse Metropoliticum jus in Syracusano Episcopo ex eadem phrasi Sæculo primo conjecerit; etenim cum in D. Joseph Hymnographi Cantico de Marciano legerit; *eam Siculam tu Provinciam suscepisti*; inde clarè totius Insulæ Primarum apud Syracusanum Antistitem fuisse colligi putat: *ex quibus facilè in animum inducas Marcianum Episcopum Siciliæ Primatem à D. Petro Apostolo constitutum, ejusque curæ Ecclesias Siciliæ commissas.*

6 Ego quidem nullatenus auctiorem, ac primo Sæculo, Ecclesiasticam Hierarchiam in Sicilia arbitror. Tunc nonnisi Episcopi, & hi Martyres. Nondum fastuosus Archiepiscopi titulus irrepserat. Metropolitici Juris exercendi necessitas nulla. Metropolitanus prælatus Metropolitanis, seu Primas, solùm ex demandatis Sedis Apostolicæ vicibus primò in Ecclesia auditus; & cæteris seriùs in Italia, quæ Romæ satis proxima Vicaria hujusmodi Apostolicæ Sedis non indigebat, ut observat Eruditissimus Tomassinus (3).

7 Porrò undecumque Metropolitanorum, & Primatum originem spectem, a 2. Sæculo abducendos comperio saltem in Sicilia. Aliqui (4) Hierarchicas nostri temporis nuncupationes ad abolendam Idololatrici Ordinis memoriam inductas censent; ut Flaminum, & Archiflaminum, qui Idolis adolebant, nominibus execratis, Episcopi, & Archiepiscopi in iisdem respectivè locis sacra vero Deo peragerent. Quid Siciliæ primis Ecclesiæ Christianæ Sæculis incohærentius? Idololatrica sanè res priùs convellenda, quàm quisquiliæ; nec Idololatriæ memoria tunc è Siculorum mente eradicanda, cum sub Ethnicis Imperatoribus maximè vigeret dominatu, & tenue Ecclesiæ primò surgentis ædificium in securi, & ascia deiiceret. Nil fere magis auribus dissonum, quàm excutiendis micis intendisse Apostolicos viros, cum mensa Idolorum adhuc posita fumarent aræ, ac super eam universus penè Orbis coram libaret; Christianæ Religionis Mystis in cryptis & speluncis thuris ipsius suffitu deprehendi paventibus. Absentis sanè rei, & quæ loco cesserit, avellenda memoria, non præsentis, & efflorentis.

8 Petrus de Marca (5) post cæteros exemplo Romani Imperii, sub quo in primariis Civitatibus jus Sæculare minoribus dici solitum, Ecclesiastico regimini Metropolitas superinductos docet, ad quos inferiorum causæ in Metropoli Civitate deferrentur. At quomodo Præsulum causas querula vox deferret felici illo ævo, cum omnes Christum saperent, & qui pro ovibus animam ponerent, reatum, undè expo-

[1] *Annal. Mess. ad ann.* 121. (2) *Isag. c.* 16. (3) *Vet., & Nov. Eccl. discipl. p.* 1. *l.* 1. *cap.* 30. (4) *ap. Barbos. de Off., & Pot. Epis. p.* 1. *tit.* 1. *c.* 7. (5) *Concor. Sac. & Imper. c.* 1. *§.* 31.

postularentur, non haberent? quinam juridici Conventus tunc in Sicilia agendi, cum vix ad Synaxim, sibi ab Ethnicis timentes, & vita in discrimen adducta, convenire possent? quæ de Diœceseon confinibus diluendæ controversiæ, quando Episcopi ad Regiones mittebantur, non ad Civitates, quarum plerumque adhuc mittenti ignota nomina, ut observat Eruditissimus Ludovicus Tomasinus (1)? Anne deponendi tunc Episcopi, quos vitæ Sanctitas efferebat? aut Episcoporum ordinationes celebrandæ, cum ad vincula, ad carceres, non ad Cathedræ pompam Romani Pontifices Sanctos Viros destinarent? Hæc profectò Metropolitarum, & Primatum iura.

9 Nihil hæreo in Provinciæ, ac Præpositturæ vocabulis in Eleutherii Actis à Scriptore usurpatis. Potuit quippe eo tempore elucubrare, quo gradus omnes Hierarchici in Ecclesia jam constituti, & sui ævi phrasi usus, summis labiis rem attingentibus imponere. Authorem suppositiitiæ Epistolæ Sancti Dionysii Romani Pontificis ad Severum Cordubensem Episcopum, juniorem conjicit, & posteriorem incursione barbarica Maurorum in Hispaniam doctissimus Natalis Alexander; quia Provinciæ Cordubensis mentionem facit, ævi sui morem secutus, non priscam illius Ecclesiæ disciplinam: *Suppositionem prodit Cordubensis in Hispania Provinciæ mentio, cum tamen Corduba Provincia non fuerit, imò nec Metropolis, sed Bæticæ Provinciæ, cujus Metropolis erat Hispalis Civitas. Unde post Bæticam occupatam, & Regni Sedem Cordubæ à Saracenis fixam, hujus Epistolæ Architectum vixisse, palam est.* Non igitur cuilibet paxillo appendendum cribrum, sed Scriptoris ætas investiganda, & genio vel mori indulgendum.

(1) *Nov. & Vet. Eccl. discipl. p. 3. l. 1. c. 54.* (2) *Sæc. 3. c. 4. art. 6.*

## §. V.

## SÆCULARIS IMPERII ANALECTA.

1 Trajanus, quem exoriens secundum Sæculum Cæsarem viderat anno 17. ad Decessores appositus est: prodromum mortis terræmotum anno præcedenti Antiochiæ passus, à quo metu propemodum exanimis, è Palatio per fenestram ab ignoto quodam eductus, vix evasit ab universa Urbis ruina inter paucos superstes. Latam contentionis segetem moriens priscis Theologis legavit; an ab inferis Gregorii Magni precibus post Sæcula erutus.

2 Orbis Imperio suffectus Ælius Hadrianus, qui post Asiam, & Orientis universi regiones lustratas, Romam revertens Siciliam tetigit, & qui Caligulã, ut refert Svetonius (1), in præceps egerat Ætna mons, Hadrianum illexit, ut conscenderet, Solis Orientis speciem è cacumine liberiùs conspecturus (2). Hæc de eo Spartianus [2] *Post in Siciliam navigavit; in qua Ætnam montem*

K

(1) *In Vit. c. 5.* (2) *In Vit.*

*iem conscendit, ut Solis ortum videret, arcus specie, ardicitur, variam; inde Romam.* Hinc Cæsaris sui præsentia Sicilia gloriata nummos cudit in monumentum hac cum Epigraphe

HADRIANUS AUG. CAES.
& inde
ADVENTUI AUG. SICIL.

ut ex Sebastiano Erizo (1) refert Mongitorius [2].

3 Anno 138. Hadrianum in Romano Imperio Antoninus Pius excepit, an iste, vel Philosophus, aut alius quispiam sit, qui in Siciliam venit, non satis compertum. Certè Antoninum Augustum Siciliam peragrasse, quin & incoluisse, ex Itinerario, quod conscripsit, colligi docet citatus Mongitorius, adducens pro se Bartium (3), & Vossium (4), Pius quidem *ab Italia nunquam, vix à Roma profectus*. Traditur apud Bussieres [5]; non extra veri speciem Italico excursu Siciliam attigisse; sed peragrare, & incolere longioris negotii res est; Philosophum fuisse potiùs evinceret assumpta conscribendi Itinerarii provincia; nisi perpetua Germanici belli occupatione distentum Historia testaretur. Quisquis ille fuerit, Sicilia Augustum suum vidit, si Authoribus fides.

4 Anno 161. M. Aurelius dictus est Augustus, ad annos novem cum L. Vero in Consortem adscito imperavit; deinde verò anno 180. Commodo filio, sive suo, sive solius uxoris Faustinæ, concessit. Post ipsum anno 192. Helvius Pertinax, & mox Didius Julianus sederunt; si bimestri Imperio frui sedere sit, non ruere. Inde Severus, qui Sæculum clausit. Iste dum in Sicilia Proconsulem ageret, traductus quòd Hariolos sciscitarit, num futurus Imperator, vix evasit; & nonnisi efferato in Commodum Cæsarem odio justam, vel injustam sententiam à Judicibus extorquente. Hæc Lampridius (6) *in Siciliam quasi de Imperio vel Vates, vel Chaldæos consuluisset, reus factus apud Præfectos Prætorio, quibus audiendus datus fuerat, jam Commodo in odium veniente, absolutus est, Calumniatore in Crucem acto.*

5 Siciliam hoc Sæculo Proconsularem adhuc Provinciam, & in Senatus Romani potestate fuisse, fusè ostendit P. Cajetanus [7], & priscis lapidum Inscriptionibus firmat. Apud ipsum Trajano, aut Hadriano regnante, Procoss. Arn. Marcellus, & Inæmmius Pætus. Sub Commodo L. Septimius Severus, qui deinde Augustus; unde coniicere licet quanti Siciliam Cæsares penderent, qui Viros Imperium meritos ad eam regendam destinarent Proconsules. Sub Antonino Pio, & Philosopho Geminius Titianus. Sub Severo Marius Titius Rufinus. Unicam autem Provinciam perseverasse ex unico Proconsule liquidò colligimus, quamvis ad Ecclesiasticam hujus Sæculi rem nil id conferat; cum nec Ecclesiæ Syracusanæ P. Cajetanus, nec Panhormitanæ Pirrus Primatiæ assertores, quos sufficerent Episcopos invenerint, & frustranco sudore bipartitam Provinciam contenderent.

## SÆCULI SECUNDI FINIS.

SÆ-

(1) *in Numism.* (2) *Appar. ad Bibl. Sicul.* (3) *Adverf. l. 45. c. 8.* [4] *de Hist. Lat. l. 3.* (5) *in Flosc. l. p. 2. c. 1. ad an. 138.* [6] *in Vit. Sever.* (7) *Isag. c. 43.*

# SÆCULUM TERTIUM.

## §. I.

## *ECCLESIASTICARUM RERUM SYNTAGMA.*

1 QUastum in Romana Sede annum agebat Zephytinus Pontifex Sæculo 3. exoriente; cujus ad Siculos Episcopos circumfertur Epistola. Utinam æquè suppositionis suspicione apud Eruditos vacua, ac saniori disciplina repleta. Ejus tenor talis (1).

*Romanæ Urbis Archiepiscopus Zephyrinus omnibus per Siciliam constitutis Episcopis in Domino Salutem.*

*DIvinæ circa nos gratiæ memores esse debemus, quæ nos per dignationis suæ misericordiam ad hoc fastigium Sacerdotale provexit, ut mandatis ipsius inhærentes, & in quadam Sacerdotum ejus speculatione constituti prohibeamus illicita, & sequenda doceamus; sicut Stellas Cœli non extinguit Nox, sicut mentes fidelium firmamento inhærentes Sanctæ Scripturæ non obfuscat mundana iniquitas. Ideirò meditari Vos oportet Scripturas, & Præcepta Divina, quæ in Scripturis continentur, diligenter attendere; ne transgressores legis Dei, sed impletores appareatis.*

*Patriarchæ verò, vel Primates accusatum discutientes Episcopum, non ante sententiam proferant finitivam, quàm Apostolica fulti authoritate, aut reum se ipsum confiteatur, aut per innocentes, & regulariter examinatas convincatur testes, qui minori non sint numero, quàm illi discipuli fuerunt, quos Dominus ad adjumentum Apostolorum eligi præcepit, ìdest septuaginta duo. Detractores quoque, qui Divina authoritate eradicandi sunt, & Authores inimicorum ab Episcopali submovemus accusatione, vel testimonio, nec Summorum quispiam Minorum accusationibus impetetur, aut dispereat. Neque in re dubia certa judicetur sententia, nec ullum judicium, nisi ordinabiliter habitum, teneatur. Absens verò nemo judicetur, quia & Divinæ, & Humanæ hoc prohibent Leges. Accusatores autem eorum omni careant suspicione; quia columnas suas Dominus firmiter stare voluit, non à quibuslibet agitari; nullam namque eorum sententia à non suo Judice dicta constringat, quia & Leges Sæculi id ipsum fieri præcipiunt.*

*Duodecim enim Judices quilibet Episcopus accusatus, si necesse fuerit, eligat, à quibus ejus causa justè judicetur. Nec priùs audiatur, aut excommunicetur, vel judicetur, quam ipsi per se eligantur, & regulariter vocatus, ad suorum primò conventum Episcoporum, per eos ejus causa justè audiatur, & rationabiliter discernatur. Finis verò ejus causæ ad Sedem Apostolicam deferatur, ut id determinetur. Nec ante finiatur (sicut ab Apostolis, vel Successoribus eorum olim statutum est) quàm ejus Authoritate fulciatur. Ad eam quoque ab omnibus, (maximè tamen ab oppressis) appellandum est, & concur-*



(1) *Apud Labbe collect. Concil. t. 1. f. 603.*

*rendum, quasi ad Matrem, ut ejus uberibus nutriantur, auctoritate defendantur, & à suis oppressionibus releventur; quia non potest, nec debet Mater oblivisci Filium suum.*

*Judicia enim Episcoporum, majoresque Ecclesiæ Causæ à Sede Apostolica, & non ab alia (sicut Apostoli, & Sancti Successores eorum statuerunt) cum aliis Episcopis sunt terminandæ, quia licèt in alios transferantur Episcopos, Beato tamen Apostolo Petro dictum est: quæcumque ligaveris super terram, erunt ligata & in Cælis, & quæcumque solveris super terram, erunt soluta & in Cælis; & reliqua Privilegia, quæ soli huic Sanctæ Sedi concessa sunt, & in constitutis Apostolorum, eorumque Successorum, aliisque quamplurimis eum eis concernentibus, habentur inserta.*

*Septuaginta enim Apostoli sententias præfixerunt, cum aliis quamplurimis Episcopis, & servandas censuerunt. De occultis enim alieni cordis temerè judicare peccatum est, & eum, cujus non videntur opera, nisi bona, iniquum est ex suspicione reprehendere; cum eorum, quæ hominibus sunt incognita, solus Deus Judex sit; ipse verò novit abscondita cordis, & non alius; injusta enim judicia ab hominibus cavenda sunt, maximè tamen à servis Dei; Servum autem Dei non oportet litigare, nec quenquam damnare; Episcopi namque a plebibus, & Clero, & Domini servis ferendi sunt, ut sub exercitatione tolerantiæ sustineantur temporalia, sperentur æterna; auget enim merita virtutis, quod propositum non violat Religionis. Satagendum est Vobis, ne aliquis Fratrum vestrorum graviter laceretur, vel pereat. Succurrere ergo Vos oportet oppressis, & liberare eos de manu persequentium, ut cum B. Job dicatis: benedictio perituri super me veniebat, & cor Viduæ consolatus sum. Justitia indutus sum, & vestivi me sicut vestimento, & diademate, judicio meo. Oculus fui cæco, & pes claudo. Pater eram pauperum, & causam, quam nesciebam, diligentissimè investigabam. Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam: & reliqua. Vos ergo, qui in specula à Domino estis positi, comprimere, & repellere eos summopere debetis, qui Fratribus insidias præparant, aut in eos seditiones, & scandala excitant. Facilè est enim verbo fallere hominem, non tamen Deum: Inde hos repellere, & ab his Vos cavere oportet, quatenus extincta funditus hujusmodi caligine, Lucifer eis resplendeat, & lætitia oriatur, Sanctissimi Fratres. Data 12. Kal. Octob. Saturnino & Gallicano Viris clarissimis Coss.*

2 Hanc ut spuriam, & supposito Scriptore indignam rejiciunt Recentiores, & meritò. Primò ex Consulum nota, quæ adhuc apud Epistolæ vindices falsa. Adstruit enim Coss. Saturninum, Gallicanum, quos anno 203. consignatæ Epistolæ principantes affirmat P. Cajetanus [1]; cum tamen anno illo, qui sedentis Zephyrini septimus, Consules fuerint Fabius Chilo, & M. Annius Libo; imò nec integro ejusdem Pontificatus intervallo, quem ad annum usque decimumnonum protendit, Consules illi legantur: ut videre est in Critica Baroniana Pagii.

3 Secundò, quia phrasis posteriorem ætatem redolet; iisdem quippe verbis incipit, ac Epistola tertia Hilarii Papæ, qui sedit quinto Sæculo; quin & idem initium referat, quod Epistola supposita Fabiano Papæ ad Hilarium Episcopum; nem-

[1] *Isag. c. 38.*

nempe: *Divinæ circa nos gratiæ memores*; & plures Prosperi, ac Recentiorum Patrum dicendi formas usurpet.

4 Tertiò, quia nomina Archiepiscopi, Primatis, & Patriarchæ assumit, quæ quidem vocabula Sæculo illo in Occidente saltem ignota, ut pluries diximus; nec nisi post multum temporis in Ecclesia emersere, ut suo loco fusiùs dicemus.

5 Quartò, quia tota est in judiciorum ordine sanciendo, qui etiam Sæculo illi incohærens. In Episcoporum quidem causis duodecim Judices assumendos statuit; ad eos deponendos adhiberi Testes septuaginta duos &c. Siculam Ecclesiam minimam pusilli tunc Gregis Christi portionem, vix eo tempore Traditione suffragante firmavimus. Post eos Martyrio sublatos, quos Apostoli primitus constituere, qui sederint, nonnisi hariolando Scriptores Gentici ipsi adinveniunt. Persecutione debacchante, in Cryptis, non in Foro, nec in Synodis frequens Christiana plebs. Quorsum igitur de Episcoporum delictis, quæ depositionem demerentur, de immani testium, & Judicum numero sermo ille introductus?

6 Quintò, septuaginta asserit sententias Apostolicas, quas nonnisi Canones illi, quos Eruditi passim exsufflant; & hi nec unquam septuagenario numero cuiquam constituti: unde ad rem nostram eruditè Natalis Alexand.(1): *Cur Apostolicas sententias 70. ipsos Canones inscriptos concedam, qui vel 85. in Codice Orientalis Ecclesiæ, vel 50. tantùm in nostro recensentur? Scio equidem Romanos Decreti correctores ad Canonem 2. dist. 16. legi monere, non 70. sed 50. Sententias Apostolicas, qui numerus Canonibus Apostolicis in Dionysii collectione extantibus convenit. Sed etsi res ita se habeat, nego hinc sequi, ut illi Canones Zephyrino noti, probatique fuerint; quia illius Epistolæ, & aliarum similium cōsarcinator est Isidorus Mercator, qui sexcentis post verum Zephyrinum annis vixit.*

7 Sextò, quia clarum in ea monumentum de Appellationibus ad Sedem Apostolicam in causis Episcoporum, quod certè ætate illa minùs frequens. Qua enim fronte plures cum Marca [2] jus causarum ad Sedem Apostolicam deferendarum in Synodo Sardicensi anno 347. primo Ecclesiæ Romanæ quæsitū (licèt immeritò) assererent, imo Romanas Appellationes ad Sæculum 7. in Ecclesia Græca, & ad 8. in Latina tam apertè [licèt falsò] rejecissent, exerto illo Zephyrini, quŏ per Sæcula antecessit, documento facilè exsibilandi?

8. Denique Scriptionis genus desultorium, barbara locutio, particulæ consecutivæ, & copulativæ incohærentium interspersæ, indignā Zephyrino Epistolam testantur; quam proinde supposititiam cum Recentioribus Criticis censemus.

9 Zephyrini Papæ temporibus maximè notus Tertullianus, qui sub Septimio Severo, & Antonino Caracalla Imperatoribus floruit; & prima virtutum heroicarum specimina edidit Origenes. Tertullianus quidem Afer, ex Ethnico, & Carthagine causarum Patrono, Christianus. Acre ipsi ingenium, & genius; elatus, & vehemens stylus; multigena eruditio; qua Ecclesiæ lucubrationibus suis, quas primò edidit, tam propitius, quàm posterioribus noxius, postquam in Montani hæresim declinavit, & errores alios

(1) *Sæc. 1. diss.* 18. [2] *Concord. l.* 7. *c.* 3.

alios plures ; quos legere est apud Natalem Alexandrum (1); quamvis ejus vindicias Georgius Ambianensis in Tertulliano Redivivo, aliiq; intentarint ; anathemate percussus à Zephyrino traditur apud Pagium [2]. Origenes autem Græcus, Scholæ Alexandrinæ præfectus, quod abundantissimum doctrinæ eius, ac pietatis argumentum. Leonide Martyre genitus est, qui adultos in filii pueritia Scripturarum sensus miratus, dormientis pectus, quasi Spiritus Sancti Sacrarium, osculari consueverat (3) ; pro fide profugus ex Eusebio [4], Romam ad Zephyrinum venit, à quo comiter exceptus. Plurium contra Christiana dogmata errorum communiter insimulatur, & oblato Idolis thure, Confessionis suæ gloriam obnubilasse.

10 Anno Christi 217. Zephyrini Pontificis emortuali Sedem Petri conscendit Callistus Romanus, quem, fuso pro Christianæ Fidei confessione sanguine, excepit Urbanus pariter Romanus anno 222. Sub eo Cæciliæ Virginis Martyrio gloriatur Ecclesia. Nescio, unde Venantius Fortunatus Episcopus Pictaviensis citatus apud P. Cajetanum (5) Siculam fuisse eruerit, cum Romana omnibus fuerit. Quamvis Tillemontius (6) passam in Sicilia dicat, & inde æquivocationem ortam; ut meliùs §. sequenti: Grandis nihilominus Siciliæ laus, quòd eam protulisse rumore qualicunque feratur; maxima autem, si revera tulisset. Sub ejus Pontificatu Alexander Severus Imperator in Christianam Religionem propensissimus legitur, & Christum in Larario coluisse, cui veluti Numini Templum excitare in votis erat ; unde Lampridius (7), *Christo Templum facere voluit, eumque inter Deos recipere*, & Zonara (8), *quo factum est, ut persecutio Christianorum eo tempore non modò conquiesceret, sed honos maximus Christi cultoribus haberetur* ; id Mammeæ Matris studiis tribuendum, quæ probata mulier, & pluribus Christiana fide imbuta.

11 Anno Christi 230., Urbano per Martyrium ad Cœlum evolante, consecratus est Pontius Romanus, sub quo sextam Ecclesiæ Persecutionem intulit Maximinus, in quo Idololatrici cultus zelum excitavit odium in Alexandri Decessoris familiam, quę maxima ex parte Christiana ; ut tradidit Eusebius (9). Quamvis autem Persecutio illa non per totum Mundum, sed localis fuerit, ut Firmilianus Cæsarèæ Episcopus ad Cyprianum scribit; Siciliam tamen attigisse constat ex pluribus in Insula eo tunc Martyrio laureatis, ut ostendit Pater Cajetanus (10), & nos alibi; à quo habemus frequentia tunc in Sicilia Virorum Monasteria; *Porrò circa annum 233. S. Nicon ex Græcia Tauromenium advectus est, novem aliis adjunctis, montem conscendit, ibique Monasticam vitam habuit, quippe jam priùs ab Episcopo non tantùm Monachus, sed etiam Monachorum ad centum fermè Abbas institutus fuerat; verùm ubi ad Præfectum de illo, & sociis perlati sunt Nuncii, statim ad Sanctos Monachos trucidandos lictores missi; & ita Monasticam vitam illustris Martyrum exitus consecutus est.*

12 An-

(1) *Sæc. 2. cap. 4. & diss. 9.* [2] *in Zephyrin. n. 1.* (3) *lib. 6. cap. 2. Eusebius.* [4] *idem l. 6. c. 14.* (5) *in Vit. S. Lucæ Abb. tom. 2. in Animadv.* (6) *tom. 3. in Urbano, & in notis.* (7) *in Vit.* (8) *tom. 2.* [9] *lib. cap. 28.* [10] *Isag. cap. 41.*

12 Anno Christi 235. post Pontium vitam Martyrio consignantem subrogatus Antherus Græcus, qui brevi sanguinem pro Christo fundens vacuam sequenti anno Cathedram Fabiano Romano reliquit, quem Eusebius (1) divinitus electum tradit, Columbæ indicio, quæ, fidelibus ad sacra comitia congregatis, repentè è Cœlo demissa, ejus capiti insedit. Ab ipso Philippus Cæsar, cum Philippo Filio Augusto, Baptismate tinctus refertur ab Eusebio (2), Hieronymo, Lirinensi, & aliis antiquioribus, quos secuti Baronius, & Huetius apud Natalem Alexandrum (3): Gloriam nihilominus primo susceptæ fidei inter Romanos Principes denegandam non esse censent Viri Eruditi post Ambrosium, Sulpicium Severum, & Theodoretum, quibus adstipulatur Pagius [4], & adversantium momenta expendit, & eruditè reiicit.

13 Postremo Fabiani Pontificatus anno gravissima sub Decio, & septima, excitata Christianorum Persecutio, in qua plures Fidelium lapsi, suppliciorum atrocitate deterriti, & Præsidum rabie. Inde celeberrima illa contentio in Romana, & Africana Ecclesia orta est, an ad Communionem Lapsi hujuscemodi recipiendi, aut arcendi à Fidelium cætu, quæ diù exarsit, coactis ubique Synodis; donec Cornelio sedente constitutũ, Sacrificatos, qui scilicet quomodolibet fidei desertores genua flexissent Idolis, non nisi ante plenè peractam pœnitentiam, reconciliationis gratiam obtinere, excepto mortis articulo. Libellatici verò, qui nempe retentam Christiani nominis confessionem confusione quadam maculassent, pecunia Ethnico Magistratui numerata, ne Idolis adolere cogerētur, & securitatis libellos ad Satellitum audaciam compescendam obtinuissent, ad Ecclesiæ pacem brevi expiatione admitterentur, cedentibus in pœnam, quæ, persecutione grassante, passi fuissent, de quibus legendus Natalis Alexander (5) citatus.

14 Anno Christi 250., Fabiano per Martyrium è Sede exturbato, diuturnum fuit in Ecclesia Interpontificium anni unius, & ferè mensium quinque. Eo durante Clerus Romanus, qui Christianæ rei potiebatur, ad Siculos literas dedit, quarum exemplar ad Cyprianum Carthaginensem Episcopum misit. Non est autem, cur P. Cajetanus (6) adeò hæsitanter de earum argumento loquatur: an scilicet ad fidei integritatem pertinerent, vel ad continendos in officio Christianos Deciana Persecutione debacchante, aut ad morum disciplinã; & vix sub suspicione affirmat de Lapsis in Ecclesiam recipiendis, aut coercendis, fuisse; cum celebrem illam controversiam concernere, ex Epistola ipsa Cleri ad Cyprianum apud Baronium (7) liquidò appareat. *Quales literas in Siciliam miserimus, subjectas habebis; quamquam nobis differendæ hujus rei necessitas major incumbat, quibus post excessum nobilissimæ memoriæ Viri Fabiani nondum est Episcopus propter rerum, & temporum difficultates constitutus, qui omnia ista moderetur, & eorum, qui lapsi sunt, possit, cum consilio, & authoritate habere rationem.* Unde eruere licet, ca-

(1) *l.6.c.29.* [2] *l.6.c.34.& in Chronic.* (3) *Sac. 3.c.3.& ult.* [4] *in Fabian. n.2.* (5) *Sac.3.diss.2.& seq.* [6] *Isag.c.26.* [7] *ad an. 253.n.77.*

eadem contentione Ecclesiam Siculam tunc temporis, ac Africanam implicitam, & eodem provisorio Decreto Cleri Romani regulatam, quod habetur apud Natalem Alexandrum (1): *Jusserunt eos expectare, donec sedata persecutione, celebrari posset Concilium, in quo discussis eorum causis, cuique pro criminis gravitate pœnitentia imponeretur. Nihil interim innovari voluere, hoc est legitimam, & consuetam eos subire pœnitentiam jusserunt; qua peracta, reconciliationem per manuum impositionem Episcopi, & Cleri obtinerent. Lapsis porrò conditionem illam recusantibus ad propellendum Schismatis periculum, provisorio Decreto sancitum est, illis, qui Martyrum libellos haberent, in mortis discrimine pacem, seu absolutionem esse concedendam.*

15 Anno Christi 251. electus Cornelius Romanus, sub quo, inconsutilis Christi vestis, Ecclesia primò scissuram passa Schismate Novatiani, qui Novati Presbyteri Carthagine ob delicta profugi, & Romæ Asylum querentis malis artibus seductus in Petri Sedem irrepsit, & Schismati etiam Hæresim copulavit: sic fraude, & ambitione intrusum teterrimum monstrum, eòusque invisum Ecclesia doluit. Qualis autem Novatus fuerit, qui prima discordiæ semina jecit, ex sequenti Cypriani (2) elogio discat Orbis. *Novatus rerum novarum semper cupidus, avaritiæ inexplebili rapacitate furibundus, arrogantia, & stupore superbi tumoris inflatus, semper istbic Episcopis malè cognitus, quasi Hæreticus semper, & perfidus, omnium Sacerdotum ore damnatus, curiosus semper, ut prodat, ad hoc adulator ut fallat, nunquam fidelis, ut diligat, fax, & ignis ad conflanda seditionis incendia, turbo, & tempestas ad fidei facienda naufragia, hostis quietis, tranquillitatis adversarius, pacis inimicus.*

16 Anno Christi 252. Cornelius Martyr effectus: Subrogatus Lucius Romanus, qui sequenti anno extremum diem clausit, an Martyrio, incertum: ejus quidem nomen in Indiculo Depositionis Episcoporum, non vero Martyrum, consignatum apud Bucherium (3), fortè apud plures Martyr, quia in exilium deportatus, vitam pro fide ærumnis breviavit. Post ipsum Stephanus pariter Romanus sedit; sub quo gravis controversia Romanam inter Ecclesiam, & Africanam de Rebaptizandis revertentibus ab Hæresi invaluit; de quo legendus Pagius (4), & Natalis Alexander (5). Eo sedente, Leontina Ecclesia in Sicilia SS. Mulierum Justinæ, & Theclæ prædiis fundata & aucta; opibus quoque Eutropiæ Matris S. Eulaliæ Martyris ditata. Victorinus item inter Leontinos Vir primarius, & Donatus genere Hebræus, avita Religione in Christianam commutata, divitias manibus pauperum in cœlestes thesauros deportaverunt. Monumentum insuper celeberrimi Monasterii in vico quodam, cui nomen Tyro; unde egregiæ pietatis Viri prodiere; de quibus videndus P. Cajetanus (6).

17 Anno Christi 257. sub pridem excitata à Valeriano, & Gallieno octava Ecclesiæ Persecutione, Martyrium passus Stephanus, & suffectus Xystus II. Græcus, qui eadem ingravescente, sanguinem fudit anno sequenti; dein post anni ferè

(1) Sæc. 3. diss. 2. (2) Ep. 49. ad Cornelium. (3) de Doctrin. temp. (4) in Stephan. (5) Sæc. 3. diss. 12. (6) in Isag. cap. 39. & 41.

ferè unius Interpontificium anno 259.inauguratus.Dionysius ex Monacho Pontifex, incerta regione natus : sub hoc Pontifice duplici thesauro ditata Sicilia ; corpore nempe S. Erasmi M. & SS. Alphii, Philadelphi, & Cyrini ex sorore Nepotis.Romà enim in Siciliam reversurus S. Neophytus Leontinorum Episcopus à SS. Fratribus in visu admonitus Puteolos concessit, ubi Peregrino quodam ductore sibi designato loculum, & truncum corpus invenit:nova deinde visione edoctus puteum in Theatro effodit, in quo Martyris caput,capillis,prout indicatum fuerat, nigris, & inaurem auream in dextra aure habens invenit,integrasque Reliquias Leontinos detulit (1) Sacris insuper Lipsanis S. Agrippinæ V.,& M.quæ S. Bassa soror, Angelo comite, in Siciliam Romà transtulit . Perpetuus in itinere Sacri Corporis odor, patrata miracula , pulsi sede Dæmones, donec Menæum Castellum attingeret. Ibi Euprexia pia mulier Menina suscepit , & S. Bassa Carthaginem profecta, Ædem Sacram extruxit, in qua Agrippinæ corpus deposuit, occulto tamen loco, Beata ipsa Martyre in somnis monente; proinde ignotus hodie tumulus, quamvis intra Templi limites,quod ædiculæ superædificatum , & subterraneis recursibus frequens est, contineri nemo ambigat (2).

18 Anno Christi 269.Dionysius diem obiit, & suffectus Felix Romanus, eo iterum felix, quòd Christianæ gentis contritionem, mox ab ejus beata dormitione nonam Ecclesiæ Persecutionem, Aureliano movente, non viderit.

19 Anno Christi 275. assumptus Euthychianus Thuscus , cui supposita ad Siciliæ Episcopos Epistola, de forma judicii Ecclesiastici, & tenor talis (3).

*Dilectissimis Fratribus Universis Episcopis per Siciliam constitutis: Eutychianus.*

*Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione Spirituali in Cælestibus in Christo , sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus Sancti, & immaculati in conspectu ejus in charitate , prædestinans nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum , secundùm propositum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificatus est nobis in dilecto Filio suo, in quo habemus Redemptionem per Sanguinem ejus remissionem peccatorum, secundùm divitias gratiæ ejus, quæ abundavit in nobis in omni Sapientia,& Prudentia, ut notum faceret nobis Sacramentum voluntatis suæ, secundùm beneplacitũ ejus, quod proposuit in eo in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, quæ in Cælis, quæ omnia operatur secundùm consilium voluntatis suæ,ut simus nos in laudem; & gloriam ejus, qui ante speravimus in Christo, in quo & vos eum audissetis Verbum veritatis , Evangelium salutis nostræ, in quo, & credentes signati estis Spiritui promissionis Sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ in Redemptionem adquisitionis,in laudem gloriæ ipsius.*

*Propterea & ego audiens fidem vestram in Domino Jesu Christo , & dilectionem in omnes Sanctos, non cesso* gra-

L

(1) *ap.Oct. Cajet.in Vit.SS.Sicul.tom.* 1. (2) *ex M.SS. Codice apud P. Cajetan.* (3) *ap. Labbe Coll. Concil. tom.*1.*fol.*918.

*gratias agens pro vobis memoriam vestri faciens in orationibus meis, ut Deus Domini Nostri Jesu Christi Pater gloriæ det vobis spiritum sapientiæ, & revelationis in agnitionem ejus, illuminatos oculos cordis vestri, ut sciatis, quæ sit spes vocationis ejus, & quæ divitiæ gloriæ hæreditatis ejus in Sanctis, & quæ sit supereminens magnitudo virtutis ejus, quam operatus est in Christo, suscitans illum à mortuis, & constituens ad dexteram suam in Cælestibus super omnem Principatum, & Potestatem, & Virtutem, & Dominationem, & omne nomen, quod nominatur, non solùm in hoc Sæculo, sed & in futuro, & omnia subjecit sub pedibus ejus, et ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est Corpus ejus, et plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimplet.*

*Et vos cum essetis mortui delictis, & peccatis vestris, in quibus aliquando ambulastis secundùm Sæculum Mundi hujus, secundùm Principem potestatis aeris hujus, spiritus, qui tunc operabatur in Filiis diffidentiæ, in quibus & nos aliquando conversati sumus in desideriis carnis nostræ, facientes voluntatem carnis, & cogitationum, & eramus natura filii iræ, sicut & cæteri.*

*Modò Fratres, quia ex filiis iræ sua gratia, & gratuita miseratione fecit nos Deus filios suos, & Nos qui digni servi non eramus, nullis meritis præcedentibus, sed sua (ut diximus) gratia facti sumus filii ejus, in quo clamamus Abba Pater, sequens ejus exempla, simus filii misericordiæ, & justitiæ, ut veri filii Dei, & dici esse, ipso auxiliante, valeamus. Deponentes igitur [juxta Petrum Apostolum] omnem malitiam, & omnem dolum, & simulationes, & invidias, & omnes detractiones.*

*Hi verò, qui talia agunt, non filii Dei, sed potiùs filii nequam esse comprobantur, sicut Paulus ait Apostolus: Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, luxuria, Idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissentiones, sectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia, quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt Regnum Dei non consequentur, & ipsa per se Veritas dicit: quid prodest homini universum Mundum lucrari, animæ verò suæ detrimentum pati?*

*Gravia sunt nimis quæ prætulimus, & pervaldè cavenda. Quibus enim Regnum Dei excluditur, procul dubio & Ecclesia denegatur. De quibus Dominus in Evangelio potestatem Apostolorum, eorumque Successorum annuncians ait: Quorum dimiseritis peccata, dimittentur eis, et quorum alligaveritis, alligata erunt; idest, quibus Ecclesiam interdixeritis, nisi reconciliati per satisfactionem fuerint, ipsis & janua Regni Cælestis clausa erit. Unde ista præcaventes, & stultorum animos prævidentes cura Pastorali cum omnibus Episcopis, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ utriusque ordinis fidelibus, statuimus, non ita in Ecclesiasticis agendum esse negotiis, sicut in Sæcularibus. Nam in Sæcularibus legibus, postquam vocatus quis venerit, et in foro decertare cœperit, non licet ei ante peractam causam recedere.*

*Accusationis verò ordinem talem esse, et didicimus, et servare jubemus, idest: Si quis Clericorum in crimen impetitur, non statim reus æstimetur; qui accusari potuit, ne suspectam innocentiam faciamus; sed quisquis ille est, qui crimen intendit, in judicium veniat, nomen rei indicet, vinculum inscriptionis arripiat, custodiat similitudinem, habita tamen dignitatis æstimatione potiatur. Nec forte sibi noverit licentiam mentiendi, cum calumnia-*

*maniantes ad vindictam poscat similitudo supplicii.*

*Hæretici etenim omnes, ut suspecti, et excommunicati; homicidæ quoque, atque malefici, fures, sacrilegi, raptores, venefici, adulteri, et qui raptū fecerint, vel testimoniū falsū dixerint, sed qui ad sacrileges, Magosq; concurrerint, nullatenus ad accusationem sunt admittendi. Nulli infami unquam, atque sacrilego de quocunque negotio liceat adversùs religiosum Christianum, quamvis humilis servilisque persona sit, testimonium dicere; nec de qualibet re, actione, vel inscriptione Christianum impetere; omnibus quoque similiter accusandi, vel testificandi licentia denegetur, qui Christianæ religionis, et nominis dignitatem suæ legis, vel sui præpositi normam, aut regulariter prohibita neglexerint: similiter prohibemus, ut nullæ causæ à Judicibus Ecclesiasticis audiantur, quæ legibus non continentur, vel quę prohibitæ esse noscuntur.*

*Hæc non solùm Ecclesiasticæ, sed & Sæculi leges observari præcipiunt, non enim passim vagèque Sacerdotum accusatio debet fieri. Nam si facilè admitteretur, perpauci nimis invenirētur, quia omnes qui piè volunt vivere in Christo persecutionem patientur: Beati tamen qui persecutionem patiuntur propter justitiam. Unde ipsa per se Veritas ait: Pater manifesta nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de Mundo. Tui erant, & mihi eos dedisti, & sermonem tuum servaverunt. Nunc cognoverunt, quia omnia, quæ dedisti mihi, abs te sunt; quæ verba, quę dedisti mihi, dedi eis, acceperunt, & cognoverunt verè, quia à te exivi; & crediderunt, quia tu me misisti: ego pro eis rogo, non pro Mundo rogo, sed pro eis quos dedisti mihi, quia tui sunt, & mea omnia tua sunt, & tua mea sunt, & clarificatus sum in eis. Et jam non sum in Mundo, & hi in Mundo sunt, & ego ad te venio. Pater Sancte serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut unum sint, sicut & nos; cùm essem cum eis, ego servabam eos in nomine tuo; quos dedisti mihi, custodivi, & nemo ex eis periit, nisi filius perditionis, ut Scriptura impleatur: Nunc autem ad te venio, & hac loquor in Mundo, ut habeant gaudium meum impletum in semetipsis. Ego dedi eis sermonem tuum, & Mundus odio habuit eos, quia non sunt de Mundo, sicut & ego non sum de Mundo. Non rogo, ut tollas eos de Mundo, sed ut serves eos à malo; de Mundo non sunt, sicut ego non sum de Mundo. Sacrifico eos in veritate: Sermo tuus veritas est, sicut tu me misisti in Mundum, & ego misi eos in Mundum, & pro eis sanctifico me ipsum, ut sint & ipsi sanctificati in veritate. Non pro eis, rogo tantùm, sed pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint, & Mundus credat, quia tu me misisti, & ego charitatem, quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut & nos unum sumus. Ego in eis, & tu in me; & sint servati in unum, ut cognoscat Mundus, quia tu me misisti, & dilexisti eos, sicut & me dilexisti. Pater, quos dedisti mihi volo, ut ubi ego sum, & illi sint mecum, ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi, quia dilexisti me ante constitutionem Mundi. Pater justè Mundus te non cognovit; ego autem te cognovi, & hi cognoverunt, quia tu me misisti; & notum feci eis nomen tuum, & notum faciam, ut dilectio, qua dilexisti, me in in ipsis sit, & ego in ipsis.*

*Et idem Joannes Apostolus, & Evangelista in prima Epistola sua loquitur dicens: Carissimi diligamus invicem, quia charitas ex Deo est; & omnis, qui diligit, ex Deo natus est, &*

cognoscit Deum: qui non diligit, non novit Deum, quia Deus charitas est. In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in Mundum, ut vivamus per eum. In hoc est charitas, non quasi dilexerimus Deum, sed quoniam ipse dilexit nos, & nos debemus alterutrum diligere. Deum nemo vidit unquam; si diligamus invicem, Deus in nobis manet, & charitas ejus in nobis perfecta est. In hoc intelligimus quoniam in eo manemus, & ipse in nobis; quoniam de Spiritu suo dedit nobis, & nos vidimus, & testificamur, quoniam Pater misit Filium suum Salvatorem Mundi. Quisquis confessus fuerit quoniam Jesus est filius Dei, Deus in eo manet, & ipse in Deo, & nos cognovimus, & credimus charitati, quam habuit Deus in nobis. Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. In hoc perfecta est charitas nobiscum, ut fiduciam habeamus in die judicii; quia sicut ille est, & nos sumus in hoc Mundo. Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem; quoniam timor pœnam habet. Qui autem timet, non est perfectus in charitate. Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus priùs dilexit nos. Si quis dixerit quoniam diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est. Qui autem non diligit fratrem suum, quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere? Et hoc mandatum habemus à Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum. Omnis qui credit, quoniam Jesus est Christus, ex Deo natus est, & omnis qui diligit eum, qui genuit, diligit et eum, qui natus est ex eo. In hoc cognoscimus, quoniam diligimus natos Dei, cum Deum diligimus, et mandata ejus facimus. Hæc est enim Charitas Dei, ut mandata ejus custodiamus, et mandata ejus gravia non sunt.

Et per Prophetam Dominus monendo, ne lædantur discipuli sui, eorumque successores, inquit: circumdat Angelus Domini in gyro timentes eum, ut eruat eos. Gustate, et videte, quoniam bonus est Dominus. Beatus vir, qui sperat in eo. Timete Dominum omnes Sancti ejus; quoniam non est inopia timentibus eũ. Leones indiguerunt, et esurierunt, quærentibus Dominum non deerit omne bonum. Ambulate filii, audite me; timorem Domini docebo vos. Quis est vir, qui velit vitam, diligit dies videre bonos? Custodi linguam tuam à malo, et fac bonum; quære pacem, et persequere eam. Oculi Domini super justos, et aures ejus ad clamores eorum. Vultus autem Domini in facientes malum, ut perdat de terra memoriam eorum. Clamaverunt justi, et Dominus exaudivit eos; et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos. Juxta est Dominus contritis corde, et confractos spiritu salvabit: multa mala justorum, et ex omnibus his liberabit eos Dominus. Custodit Dominus omnia ossa eorum, et unum ex his non confringetur. Interficiet impium malitia, et odientes justum culpabuntur. Redimet Dominus animas servorum suorum, et liberabit eos.

Vos ergo Fratres super Dominum ponite corda vestra, et ipse enutriet vos, quia non dabit in æternum fluctuationem justis. Deus autem Dominus noster deducet inimicos nostros, juxta Prophetæ vocem, in puteum interitus, quoniam viri sanguinum, et dolosi non dimidiabunt dies suos. Vos autem semper sperate in Domino, et fiduciam habetote in eo, quia ipse liberabit nos. Ipse est enim benedictus à Sæculo usq; in Sæculum, et Regni ejus non erit finis. Data 13. Kal. Oct. Caro secundò, et Carino viris clarissimis Coss.

20 Epi:

20 Epistolam hanc uti subdititiam communiter rejiciunt recentiores Eruditi, & quidem in ea deprehendere est notas omnes, quibus Critici tamquam spurias generatim exsufflant Decretales Epistolas Romanorum Pontificum usque ad Syricium, paucis exceptis, quarum apud Patres,& Concilia extant fragmenta. Primò nempe falsa temporis consignatio: Anno siquidem ultimo sessionis Eutychiani, in quo Morabitus (1) scriptam Epistolam asserit, non Carus, & Carinus, sed M. Aurelius Probus, & Pomponius Victorinus Consules designantur in Critica Baroniana Pagii.

21 Secundò, Frequentissimæ illæ Scripturarum citationes juxta Eutychiani recentiores versiones, ipsius ævo neutiquam cohærent; & illæ quidem in hac Epistola adeò prolixæ, extra metam, & inconcinnè coacervatæ,ut centonem potiùs Sacri Textus malè consarcinatum legere sit, quàm Decretalem Epistolam. Longissima quippe, tota in iis contexendis est; judiciorum ordini, quem intendit, paucis vix concessis periodis.

22 Tertiò, Ecclesiæ statum primis illius Sæculis non sapit Epistolæ argumentum; nullus ibi sermo de Hæresibus, quæ vineam Domini Sabaoth devastarent;nil de persecutionibus; non de Confessorum consolatione ad Martyriū alacriter subeundum; non de Lapsis, non de quopiam denique instituto, quod in legitimis, quæ superstant SS. Patrum operibus, aut Conciliis tunc temporis congregatis habetur; nuda ibi delicta, & judiciarius ordo, qui collapsam potiùs sapit Ecclesiæ ætatem, quàm florescentem, & calido adhuc Martyrum sanguine irrigatam. Legatur Natalis Alexander (2).

23 Sub hoc Pontifice in Siciliam venit S.Babylas cum Timotheo, & Agapito discipulis, ubi & Martyrium passi; de quo latiùs infra §. 2. Siciliæ quippe gloriam ex Sanctorum hospitio tetigisse satis.

24 Anno Christi 283.ad Cœlestem vitam translatus Eutychianus; Martyr quidem ex Baronio (3), cui tamen refragatur Pagius (4), qui inter Depositos Episcopos, non autem Martyres, in Indiculo Bucheriano repertum, in pacifica Fidei Confessione mortuum docet: Subrogatus in Romana Sede Cajus Dalmata, & Diocletiani Imperatoris ex Maximiano Fratre Nepos. Hic anno 296. in pace quievit, biennio ante excitatam à Galerio Maximiano prodromam immanis Diocletianeæ Persecutionem, ut legere est apud Pagium (5). Ipsi constitutus Successor Marcellinus Romanus, sub quo clausum Sæculum. Latam controversiæ segetem ipse Eruditis excutiendam reliquit, de lapsu & incenso Idolis thure; de quo nos Sæculo sequenti.

EC-

(1) *Annal.ad an.*283. (2) *Sæc.*1.*diss.*21.(3) *in Martyrol.et in Annal.* (4) *in Eutych.* (5) *in Cajo.*

§. II.

## ECCLESIÆ SICULÆ PERSECUTIONES.

1 PRima Tertii Sæculi, & quinta in Ecclesia Persecutio excitata anno Christi 202. Severi Imperatoris 10., Zephyrino Romano Pontifice sedente; quæ adeò atrox, ut Antichristi tēpora scripserit imminere Judas Scriptor Ecclesiasticus, qui jam tunc commentarios in septuaginta Danielis Hebdomadas edidit; apud Eusebium (1). Scriptorum inopiæ, aut Diocletiani astui, qui non solùm in Martyrum Corpora, sed & in Acta debacchatus, conquisita combussit, debemus, quòd eorum, qui in Sicilia Martyrium fecerunt, memoria exciderit. Plures tamen fuisse non ambigit P. Caietanus (2); *Atrocissima Persecutionis tempestate contra Ecclesias excitata à Severo Imperatore, ejusque impio Edicto in Siciliam perlato, plerique Christi Athletarum pro pietate fortiter decertavere. Eximii inter cæteros extitere Eugarius, & Benignus in Urbe Syracusarum.* Quorum tamen præter nomina, nil posterorum memoriæ superstar, quam ex libro Lilio, de Persecutionibus Ecclesiæ, Author se eruisse fatetur; ubi legitur: *Syracusis in Persecutione Severi SS. MM. Eugarii, & Benigni.* Eorum dies festus 23. Maji consignatus.

2 Sub Alexandro Imperatore, & Urbano Pontifice Romanæ Ecclesiæ Acta Martyrium S. Cæciliæ constituunt; quam tamen Tillemontius [3] ad M. Aurelii tempora revocandam censet, & probabiliùs in Sicilia passam docet; undè deceptum asserit Fortunatum alibi citatum. *Cæciliam Sicula profert, Seleucia Theclam*; aut eos qui de Nativitatis loco ipsum loqui dixere, cùm regionem, in qua Martyrium subiit, sermo indicet. Ejus tamen Corpus primis Ecclesiæ Sæculis Romam translatum, ubi de eo monumenta in Symmacho, qui ad calcem Sæculi 5. sedit. Siciliæ gratularer, quæ Mundo, vel Cœlo peperit, tantorum Virorum suffragio, si à Romana traditione discedere liceret.

3 Sexta in Christianos Persecutio sub Pontiani Pontificatu, & Maximino Imperium ineunte, increbuit. Hic nempe, ut ait Eusebius (4): *Propter gravem invidiam, qua contra Alexandri familiam,* in qua complures erant Christiani, *flagrabat, acerbam Persecutionis tempestatem excitavit; jussitque solos Ecclesiarum Præsides, tamquam Authores Doctrinæ Evangelicæ, neci dari*; Hoc sanè non Maximinianæ moderationis argumentum, sed impium Ethnicæ feritatis stratagema, ut capite avulso ubiq; Christianæ Reipublicæ universæ Corpus languesceret, advertit Baronius (5): *Quoniam Christianam Religionem longè, latèque diffusam posse convellere, impossibile, & Romano Imperio damnosum esse nesciebat; ut capita potiùs ejus Religionis demeterentur, instituit; ratus nimirùm paucorum nece, veluti ingentis molis fundamentis convulsis, totam machinā protinus collapsuram.* Jejunè satis de hac

(1) *l.6.c.6.* [2] *tom.1.in Benigno, & Eugario.* [3] *tom.3. in Urbano, & notis ad ipsum.* [4] *l.6.c.21.* (5) *ad an.237.*

hac Persecutione Scriptores; brevis quippè, & localis;& apud Sulp. Severum (1), vix inter Severianam, & Diocletianæam interjecta memoria: *Interjectis deinde*, idest post Severum, *annis* 8. *et* 30. *pax Christianis fuit, nisi quòd medio tempore Maximinus, nonnullarum Ecclesiarum Clericos vexavit.*

4 Sub hoc tempore nihilominus P. Cajetanus [2] constituit Siciliæ Proconsularem Armatum, quo quidem Præside, & nefariis Maximini Edictis, abundè obtemperante, passæ Leontinis Isidora, & Neophyta Sorores nobiles;illa quidem B. Theclæ Mater, ista S. Neophyti; Sancti germinis Sanctior radix; quarum memoria 15.Kal.Maji. Reliquias Theclа, cum sub Gallieno Sicula Ecclesia qualicumque pace frueretur, condidit, Templo superextructo. Plurimi item Christi Confessores in Cryptis latitantes in Monte supra Megaram, comprehensi, & variis tormentis excruciati. Non Virorum modò, sed & Mulierum cætus, &, ut sentit Morabitus [3] non Murgentini omnes, aut Leontini, sed & ex aliis Siciliæ Urbibus ad easdem latebras confluentes. Eorum memoriam excitavit Paulus V. Romanus Pontifex anno 1611., qui SS. Cleonico, Stratonico, &c. Officio constituto subdit: *Armatus Leontinorum*, fortè Siciliæ, *Præfectus, furentibus in Christianos Imperatorum Decretis, fœdam in ea Urbe, & finibus, præcipuè juxta Megaram, Martyrum instituit Carnificinam*: Eorum memoria die 2. Novembris recolitur.

5 Mox ac Imperiū iniit Decius anno 249. septimam in Christum Persecutionem permovit, Fabiano in Romana Cathedra sedente, qui ab ea inter primos Martyrio exturbatus. Hanc divinitus visionibus prænunciatam testatur S. Cyprianus (4); nedum quippe in Corpora sæviit,sed & in Animas,& æquè ingēs Martyrum,ac Lapsorum numerus. Siciliæ pro Decio Proconsules Quintianus, dein Tertullus, infamia usquenunc Siculis nomina, Martyrum Choris ejus Ecclesiam bearunt. Plurium quidem egregia superstes memoria; nec ambigendum, quin innumeros nobis Sæcula inviderint.

6 Sub Quintiano Magna illa Agatha Martyrium consummavit, quam meminisse laudare est, adeò cunctis nota, passione & prodigiis. Catanæ certè passa; an etiam orta, magnum cum Panhormensibus dissidium; nobis calculus non ferendus, quem hucusque non tulit Romana Ecclesia, nec in iis immorandum, quæ extra susceptam à nobis Provinciam constituta. *Cum in iis recensendis de Martyrum actis, mox ac de Agatha egerat*, subdit Baronius (5), *multa interdum incidant difficultates, singulas eorum enodare opus esset; longè longiùs ab instituto divertendum esset; quod puto pariturum fore Lectori nauseam*. Omnium porrò Sicularum Urbium gloria, Siculam fuisse.

7 Item S. Nicon Neapolitana Gente oriundus, Miles primò Ethnicus, miraculo ad Christi Fidem adductus, quòd Crucis signo, Christianorum more, munitus hostes devicerit; ob id in Orientales Regiones, Angelo ductore, festinans, ab Episcopo quodam baptizatus, & Sacerdotio initiatus est; an autem Episcopus consecratus, vel Monachorum Abbas,infra §. 4. examinabimus; dein cum sociis Mo-

(1)*l.2.*(2) *Isag.c.43.*[3] *Annal.Mess.an.*233.[4] *Ep.*82.(5) *ad an.*254.*n.*28.

Monachis 199. in Siciliam venit, & in monte supra Tauromenium, aliis novem adscitis Sociis, constitit, Cænobiticam vitam agens, undè ab Ethnico Præfecto eductus, facibus admotis, lingua abscissa excruciatus demum cum sociis capite truncato Martyrium fecit 9. Kal. Apr. Martyrologiũ Romanum locum passionis Cæsaream Palæstinæ designat, Surius 99. tantum socios memorat, non recedendum tamen à Siculis monumentis, & Græcis Menæis; antiquissimum enim S. Joseph Hymnographi canticum apud P. Caietanum (1) habet: *ad purissimas Cæli Regiones sublatus es, Martyr sanctissime, duplicem Martyrum centuriam, veluti chorum, assirens coronarum largitori.*

8 Qualis autem in Sicilia fuerit, Testullo post Quintianum pro Decio Insulam regente, confessorum carnificina, colligere licet ex P. Cajetano (2): *Tertullus Siciliæ consularis, cùm suaptè natura sævus, tùm Imperatoris Decii, & Valeriani literis incensus fœdam in tota Sicilia Martyrum lanienam fecit, maximè verò ubi commoratus est. Perquirendis, torquendisque Christianis Urbes ad Orientem percurrit, Menæum, Leontinos, Catanam, Tauromenium, Messanam, Mylas, & ubique locorum immanitatis suæ vestigia reliquit. Nam Tauromenii cum esset plures Christianorum interfecit. Inde Messanam transgressus, & Mylas Christi fideles ubique persequens. Tres post menses à suo Leontinis abscessu, eo reversus multorum Martyrum Sanguine sævitiam suam explevit, sex ferè menses in ea Civitate moratus. Cognito autem plerosque Christianorum Leontinis perfugisse in Menæum Castellum, huc contendit Christianum nomen dsleturns. In eo tractu cum per annum, & menses tres mansisset, rursus Catanam regressus, omnes pariter Christianos undequaque insectatus . . . quis igitur percenseat quatuor per annos, quos vir impius Siciliam administravit, quot è tota ferè insula hostias in Cœlum misit?, quantam edidit Christianorum stragem quà ferro, quà igne? Exin jurè crediderim Siciliæ campos non tam soli ingenio, quàm sanguine Martyrum fœcundiores extitisse.*

9 Inter hos celebersimi Alphius, Philadelphus, & Cyrinus fratres Vascones, Leontinis passi, quorum Acta Siculis notissima, & festus dies 10. Maji. Corpora impii Præsidis jussu in sicca cisterna projecta, cœlestis odoris indicio Sanctæ mulieres Thecla, & Justina conquisiere, & ad oram divinitus sublata cum tulissent, tumularunt. Ex eorum Actis plurium quoque aliorum Martyrum memoria superstat. Nempè septem Puerorum, qui ætatis innocentiã sanguine suo collustrarunt; ad diem 26. Martii: viginti Militum, quibus Tauromenio Leontinos deducendi Sancti Fratres traditi; hi miraculorum frequentia ad Christum conversi, truncato capite agonem cõsummarunt ad 4. Id. Decembris. Judæorum quamplurium, qui excussi à pueri corpore Dæmonis prodigio, in Christum credentes à contribulibus lapidati sunt Præsidis imperio ad diem 9. April. Sanctæ Epiphanes uxoris Alexandri consiliarii Tertulli, quæ post visum ad fidem deductum, abscissis Præfecti rabie mammillis Martyr occubuit, ad diem 12. Maji: Hinc sphalma in Martyrologio Romano irrepsit, quod festum diem 4. Idus Julii, & sub

(1) *in Vit. tom. 1.* (2) *tom. 1. ex Actis SS. Alphii &c.*

ſub Diocletiano paſſam apud Salentinos conſignat (1).

10 Decio ad inferos excuſſo Gallus, & Voluſianus Auguſti pacem, quam Eccleſiæ reddiderant, brevi intercepere, unde Dionyſius Alexandrinus (2): *Quia Gallus neq; Decii recogitavit calamitatem, neque antea ſecum, quid tandem illum de gradu dejeciſſet, ſatis diligenter conſideravit; in eundem lapidem licèt perſpicuè ante illius oculos poſitum, eum ſuo magno malo impegit. Qui cum Regnum ejus proſpero fortunæ ſtatu ferretur, et res omnes ad voluntatem fluerent, Sanctos ac pios Viros, qui pro pace ejus Imperii, proque vitæ incolumitate enixè Deum precabantur, crudeliter exegit; & propterea unà cum illis preces pro ipſo ad Deum fuſas penitus avertit*. Ipſis principantibus vix auditum ante facinus Sicilia vidit, Servilianum nempe Fratrem Euthaliæ ſororis ſanguine fuſo maculatum, eo quod Chriſtiana eſſet; quod infra ſex dies eventurum piæ Matri Eutropiæ Sancti tres Fratres prænunciarunt: ejus dies 27. Auguſti conſignatus. Item Stratonicus, & Cleonicus è Crypta prope Leontinum, in qua latebant, Martyrii ardore incenſi cum prodiiſſent, abſciſſis linguis Chriſti hoſtia effecti ſunt ad 9. Kal. Auguſti; Corpora in puteum projecta; quæ tamen poſt annos octo S. Alexander Leontinorum Epiſcopus eruit, & tumulavit (3).

11 Octavam in Chriſtum Perſecutionem ſuſcitavit Valerianus cum Gallieno Auguſto imperans anno Chriſti 257. quamvis ferè poſt biennium Valeriano à Perſis capto Gallienus pacem Eccleſiæ reddidit. Primis Imperii annis nil quidem in Chriſtianos molitus; *Verùm Doctor quidam*, refert Dionyſius apud Euſebium (4), *& Princeps Magorũ Ægypti illum tandem perdito conſilio depravavit, et non impulit ſolùm, ut homines culpa vacuos, ac Sanctos Dei, utpote ſceleſtorum, ac execrabilium incantamentorum adverſarios, & oppugnatores acerbè perſequeretur, necèq; traderet; verùm etiam, ut impuras Cæremonias obiret &c.* Tantaque tunc Chriſtianorum ſtrages, ut quæ de Antichriſto in Apocalypſi leguntur, adimpleta putaverit idem Dionyſius; Præſulum præcipuè omnium Eccleſiarum, undè Baronius [5], Stephanum, & Xyſtum, eadem Perſecutione excuſſos referens, ſubdit: *Jam etſi de cæteris Præſulibus nulla ſit adeò certa, ac exploratá teſtatio; nihilominus ex iis, quæ tum de Dionyſio, tum Cypriano ſunt certa aſſertione literis commendata, quid de reliquis diverſarum Eccleſiarum Epiſcopis dignum ſit exiſtimare, omnes arbitror intelligere*: Multi in Sicilia tunc paſſi, quorũ memoriam excidiſſe, nedũ temporum injuriæ ſed & contagio, quod ſub iis tẽporibus Orbem penè totum infecit, debemus.

12 Claudius Imperator, licèt Chriſtiano nomini infenſiſſimus, Perſecutionem tamen, bellis variis diſtentus, ad finem vitæ diſtulit, ſedente Felice Romano Pontifice. Sub eo paſſos in Sicilia Agathonem, & Triphinam, quos incertæ ætatis Martyres alibi diximus, putat Morabitus [6]. Baſſianum inſuper Syracuſis cum Fabiano, & Sabiniano, quorum memoria 17. Kal. Novemb., conſignat Cajetanus (7),

M & co-

(1) *Cajet. tom. 1. et in Not.* (2) *Apud Euſeb.* (3) *ex Actis S. Alphii etc. ap. Cajet. tom.* 1. (4) *l.* 7. *c.* 9. [5] *ad an.* 260. [6] *Annal. Meſſ. ad an.* 270. [7] *In Vit. SS.*

& eorum cum laude mentio apud Raphaelem Volaterranum [1], & Leandrum (2).

13 Nonam Ecclesia Persecutionem tulit Aureliani Imperio declinante sub Felice Pontifice, qui eá sublatus. Cæsar iste ab initio adeo Christianis rebus affectus, ut adversùs Paulum Samosatenum, in posteriori Synodo Antiochena, tamquam novæ Hæreseos Authorem damnatum, acriter edixerit; attamen, ut scribit Eusebius (3): *Processu temporis aliter de nobis sentiens quorundam consiliis cœpit impelli, ut Persecutionem adversùs nostros commoveret*. Ea fanè non diuturna, sed immani Martyrum numero ad Cœlum transmisso, brevitatem atrocitate compensavit. Quos Sicilia peperit Christo, nescimus; sed *alias, præter Romanam, occidui Orbis Ecclesias hac Persecutione fuisse sanguine cruentatas, nullus poterit dubitare; rerum verò gestorum memoriam periisse, omnes jure deplorant*; inquit Baronius [4].

14 Post hæc tempora pacem qualemcunque in Ecclesia Siculi comperimus; sed Præfectorum odio non omnino extincta Persecutio. Legimus quippe sub Numeriano passum in Sicilia Babylam cum duobus Sociis Agapito, & Timotheo(5), quorum Corpora à Satellitibus in ignem projecta, & divinitus servata Christiani sepeliere. Eorum festus dies 24. Januarii. Malè apud aliquos cum alio Babyla Episcopo Antiocheno confunditur.

15 Denique Sæculo cadente Diocletianeæ Persecutionis instructus apparatus à Galerio Maximiano in Milites præcipuè debacchante, sub Marcellino Pontifice. Innumeros ejus rabie in Sicilia passos novimus; & eorum ferè omnium, quorum Martyrium incerto ævo constituimus supra [6] tunc supremũ diem clausisse affirmat Morabitus (7); qui optimè observat, eos, quos aliqua Martyrologia in Lucania consignant, ad Siciliam esse revocandos, quam eo nomine tunc indigitatam probat ex verbis Tertulliani (8) coævi Scriproris, *Vis undarum Lucaniam Italiæ abscissam in Siciliæ nomen relegavit*.

16 Celebriores inter hos Vitus puer duodennis cum Modesto, & Crescentia; quos pueritiæ tutores ex Sicula traditione credere est, potiùs quàm cum Surio Crescentiam ad Christi fidem Romæ Viti prædicatione conversam reponere. In Sicilia natos adstruunt Martyrologia, & Vincentius Bellovacensis; *eo tempore erat in Sicilia sub Diocletiano Præses Valerianus, de qua Provincia fuit S. Vitus, habens Patrem Hylam sacrilegum*. De Urbe Patria Siculi decertant. Drepanitanos asserit Simon Parisius[9], Selinuntinos Jacobus Hadria(10). Sed cùm tunc temporis, & diù pridem Urbs illa, quæ signanter Selinuntium, non extaret, ut tradit Strabo (11): *Haud Himeram habitari amplius novimus; non Gelam; non Callipolim, non Selinuntem, non Eubæam, neque alias plures*. Circumfinitimæ regionis posteà enatæ Urbes sibi vendicare student: Mazaria, Castrum Veteranum, Marsalia, nec in re tam obscura aliquid certi

(1) *in Anthropolog*. (2) *in descript. Sicil*. (3) *lib. 7. cap. 30*. (4) *ad ann. 275*. [5] *Ex Menæis apud Cajet*. (6) *Sec. 1. §. 2*. (7) *Annal. Messan. ad ann. 286*. (8) *lib. 1. adv. Gel. in Apologetic*. [9] *De Cr. Sicil. apud Lact. in Not*. (10) *Topograph. Vallis Maz*. (11) *lib. 6*.

certi proferendum. Passionis locus Baronio (1) Lucania: *In Lucania apud Sibarum flumē Natalis SS. MM. Viti, Modesti, atque Crescentiæ, qui sub Diocletiano Imperatore è Sicilia illuc delati*: Econtra Petrus de Natalibus in Lucania ortos, in Sicilia passos affirmat: *Vitus, Modestus, & Crescentia Martyres sub Diocletiano Imperatore in Sicilia Martyrio claruerunt; qui Vitus ex Lucania Provincia nobili progenie, Petro Hyla Senatore progenitus*. Siculam in hac caligine traditionem spernendam non censeo, quæ in Sicilia ortos, & ibidem passos habet; cui adstipulantur Martyrologia Usuardi, Bedæ, & Adonis, & Breviarium Gallicanum, quo olim usa Sicilia est, apud Morabitum (2). Valerianus certè, qui cōprehendit, Siciliæ Præses. Quod autem in sententia persistentem Puerum Patri reddiderit, duriùs castigandum, è cujus manibus Angelo Duce evaserit in alias Terras, ut habet Romanum Breviarium, insuetus Judicibus Ethnicis mos, qui minusculæ parcebant ætati, & citra omne exemplum. Alterutrum tamen Siculæ gloriæ satis est. Festus dies 15. Junii.

17 Quadringentos Martyres Selinuntinos, quos eodem tempore passos refert P. Cajetanus (3), non ex circumjacentibus, tantùm Selinuntio locis, sed ex universa Insula, ad Præfectum inibi ferocientem adductos existimo; aut immanem per Siciliam Martyrū copiam adstruere oportet; si unam Selinuntinam, & angustam Regionem quatuor Martyrum centurias Christo peperisse fatemur.

18 Confessionis gloriam item in Sicilia consummarunt Lucia, & Geminianus Romani. Lucia à Filio, quem mundo genuerat, ad Diocletianum delata, quòd Christum coleret, comprehenditur, & torquetur; & dum ad carceres reducitur, Geminianum Christo regeneravit; qui candentem Columbam è Cęlo delapsam Luciæ capiti insidentem viderat. Uterque post tormenta, Angelo ductore, divina virtute in Siciliam traducitur, ubi miraculis claruere. In Crypta cum latitarent, Lucia confessionem suam incruento Martyrio perfecit: Geminianus spontè egressus, & Megasio Præfecto obvians torquetur, & capite minuitur. Corpora in eadem spelunca reposita, Maxima pia fœmina reperit, & Angelis adjuvantibus tumulavit: quibus post excussos Saracenos Rogerius Comes Templum excitari curavit, quod exinde Manfredus perfecit. Galesinus Romæ passos consignat, eo ductus, quòd in Martyrologio Notkeri solemnis in Urbe ipsorum dies habeatur. Oporteret sanè, si argumentum hujusmodi efficax esset, quòd Martha, & Magdalena Hierosolymis obierint, earum enim memoria ex fastis Ecclesiasticis, & Martyrologiis ibi solemni ritu celebrata constituitur, ut eruditè expendit Natalis Alexander (4). Quos terræ protulit, non quos Cœlo Urbs solemniter colit.

19 Eorum opera septuaginta quinque Martyres ad fidem deducti Mendis exercitati memorantur à P. Cajetano, quorum festum Idib. Septemb., ex aliis fortè Siciliæ locis ad Apophrasium Præsidem ibi debacchantem delati. Hinc coniicere licet, quàm ingens numerus memoriā exciderit, cum tot apud nos usq; superstites habeamus.

M 2 QUI-

(1) *in Martyrol.* (2) *Annal. Mess. ad an.* 294. (3) *in Vit. t.* 1. (4) *Sæc.* 1. *diss.* 17.

## §. III.

## QUINAM SANCTITATE, ET DOCTRINA FLORUERINT IN SICILIA.

1 ACta Martyrum, quos in Sicilia septima, & octava Persecutio absumpsit, plurium, qui codē ævo morum sanctitate, & præstitis Christi Confessoribus pietatis officiis floruere, monumenta exhibent. Inter hos memoratur B. Marcus Monachus SS.MM. Alphii, Philadelphi, & Cyrini comes, quorum cruciatibus adstitit, constantiæ, & prodigiorum oculatus testis, & Acta conscripsit. Hæc 6. Sæculo impius Crescens, sive Crescentius, in Ecclesia Leontina Christi gregis Lupus, non Pastor, combussit: sed Divina providentia factum, ut S. Lucianus in Episcopatu successor restituerit (1). Qualem ex SS. Fratrum contubernio pietatem hauserit, testatur Ecclesia, quæ ad diem quartum Maji ejus festum colit apud Ferratium. Legendus P. Cajetanus [2], & Mongitorius (3), apud quem incertum, an eadem Persecutione Martyr, an in pace, eā extinctā, obdormierit.

2 Alexander Tertulli Præsidis Consiliarius Sanctæ Epiphanes uxoris operā, & miraculis Sanctorum Alphii, & Fratrum suasu nomen Christo dedit, & opibus in pauperes distributis, vilem præter tunicam, sibi nihil relinquens, ad Christianos in speluncis Montis Selinodii in partibus Leontinis latitantes confugit. Ibi cum S. Agatho Liparitanus Episcopus à Diomedis Insulæ Præfecti sævitia profugus reperit, à quo Baptismate tinctus, Sacras Scripturas edoctus, & Sacerdotio initiatus, nova Christianæ Fidei professione novum Neophiti nomen consecutus est. Dein nocte diei 28. Decembris, ut fertur, per visum ab Apostolo Andrea Leontinorum Episcopus consecratur; cujusque jussu Romam cum Agathone venit a Romano Pontifice benedictionem suscepturus. Is tunc temporis Stephanus, qui ab Apostolis præmonitus, quæ Episcopali inaugurationi supererant, ei Sacra Liturgia perfecit. Authenticam facti seriem habemus ex officio Ecclesiæ Leontinæ, Pauli V. Rom. Pont. indulto his verbis: *Quadam nocte, quæ creditur fuisse 28. Novembris 258. sub Valeriano, & Gallieno Imperatoribus, divinis laudibus ad SS. Fratrum sepulchra recitatis, visus est Apostolus Andreas, qui assumptum Neophytum in Leontinorum Episcopum consecravit, jussitque, ut Romam ad recipiendam Summi Pontificis benedictionem proficisceretur, asserens, non posse Episcopum sine Episcopi Romani auctoritate consecrari. Festivus igitur Urbem adiit, ubi cum Pontifex eum consecrare statuisset, à SS. Apostolis Petro, & Paulo per somnium accepit, fuisse illum à B. Andrea Leontinis speciali Dei gratia consecratum; quod manè referens Episcopis, qui ad consecrationem pervenerant, vidit laminam auream manu Apostolica detentam, è Cœlo prolapsam, in qua privilegium Episcopatus describptum ita legebatur: Divina gratia Jesu*

(1) *Apud Cajet. t. 1 SS. Sicul.* (2) *loc. cit.* (3) *Biblioth. Sicul.*

*su Christi dignatur hunc à Sacerdotio promovere ad Episcopatum, ut sedeat in ApostolicoThrono in Metropoli Leontinorum. Demum Pontifex Apostolicam, [Planetæ genus] & Pallium sacrum Episcoporum in Sancto Sanctorum divinitus reperta Neophyto concessit.* Demum jam lapso triennio Romà Leontinos redux Corpus S.M.Erasmi, Puteolis divino monitu repertum, detulit; & post emensum diuturnæ vitæ stadium, octuagenario major quievit in pace 15. Kal.Maji. Ejus meminit Pirrus (1), Ferrarius [2], Acta Cryptæ Ferratæ, Tabulæ Leontinæ, & pluries Pat. Cajetanus [3].

3 Ex Actis Neophyti frequens Agathonis Liparitani Episcopi mētio eruitur, qui post baptizatum Alexandrum, propè Leontinos ad fluvium Assiam in Templo, quod B. V. Publius Vir nobilis extruxerat, SS. Fratrum Martyrii Historiam tribus columnis appinxit, pingendi arte insignis; cujus nec rudera à Diocletiani feritate evasere. Post reditum ad Ecclesiam Liparitanam, quid de eo actum, nescitur; ejus festum die 23. Junii Leontinis celebre.

4 S. Donatus Presbyter, ex Hebræo Samuele Christianus, omnia bona sua Leontinæ Ecclesiæ elargitus legitur. Is quidem S. Neophyti oratione à lepra mundatus, cum uxore, filiis, & aliis 284. de familia, quin & 752. ex contribulibus Judæis miraculo in Christum credentibus baptizatus est, ut habetur ex Actis Cryptæ Ferratæ. De eo meminit P. Cajetanus (4).

5 S. Thallelæus item Christi Confessor, SS. MM. Cleonici, & Stratonici in fuga socius, illis sanguine suo in Cœlum migrantibus in eadem Crypta latitans diuturniùs sanctæ vitæ Martyrium tulit, ex P.Cajetano (5). Acta tamen apud eundem (6) SS. Fratrum, prætortuum referunt; cogitantibus enim Persecutoribus se prodere, & palam Christum confiteri Alphius, & Fratres per visum conspicui imminentem Thallelæi dormitionem prænunciarunt; quem Cleonicus, & Stratonicus in Antiano, Isidoræ, & Neophitæ suburbano, ubi pridem viginti militum MM. Corpora reposita, condiderunt.

6 Sub eadem Leontinæ Ecclesiæ Persecutione BB.Thecla, & Justina nobiles fœminæ enutriendis Confessoribus, quos tyrannorum metus in speluncas adegerat, iisdem in carcere invisendis, & post passionem tumulandis opes suas erogarunt, redemptis pecunia custodibus. Persecutorum rabie defervescente, quæ sibi supererant, Ecclesiæ Leontinæ elargitæ, apud Martyrum Sepulchra, quasi Asceterio quoddam, divinis laudibus intentæ piam vitam duxere, frequenti SS. Fratrum apparitione, & de futuro Ecclesiæ Leontinæ statu revelatione recreatæ. Quin & S. Andreas Apostolus cum Alphio, & Fratribus S. Neophito se visendum exhibens, in eo loco Theclam venerandum B.Virgini Templum, Sanctisque Martyribus, qui secum erant, cum SS. Epiphane, & Euthalia excitaturam prænunciarunt, quod & evenit. De iis sæpè P. Cajetanus [7].

7 Iisdem pietatis officiis ergà Martyres intenta legitur (8) Eupraxia Menina, cujus filia Theognia Vir-

(1) *l.1.Not.3.*(2) *in Martyrolog.*[3] *Isag.c.33.38.39.& 41.& tom.1.SS.Sicul.*[4] *Isag.c.39.& t.1.SS.Sicul.* (5) *Isag.c.41.* (6) *tom.1.SS.Sicul.* (7) *Isag.c.33.36.41.& tom.1.* (8) *Acta translat.S.Agrippin.*

Virgo, cum delatis Menæum S. Agrippinæ reliquiis à lepra mundata esset, in Christum credidit; cumque à D. Bassa sacra catechesi imbueretur, Fidei suæ professionem ita exorsa est: *Credo, quòd Christus est verus Deus, qui erat in sinu Patris; & pro nobis descendit in uterum Virginis Matris*; ut refert Pat. Cajetanus [1]. Mater dein, & Filia cum aliis pluribus ad tumulum S. Agrippinæ diù in habitu Sancto, (quem idem Cajetanus (2) interpretratur nigrum, & cœnobiticū) asceticam vitam dùxit, & sanctè clausit extremum diem.

8 Non absimilis fuisse legitur Mendis Maxima mulier Plinthitana, quæ SS. Luciæ, & Geminiani Corpora decorè tumulavit: Ita enim ex eorum Actis habetur: *Mulier quædam Maxima nomine, Christiana, quæ erat de Territorio Plinthitano, invenit Sancta Corpora, & aperiens portatorium vestis suæ, omnia vestimenta sua pretiosa Sanctorum Corporum sepulturæ tradidit*: cum ea etiā memoratur Domnina apud P. Cajetanum (3).

9 Apud Cajetanum (4), & Mongitorium (5), B. Cheromeni Syracusani Cœnobiticam vitam professi, & discipuli Sancti Niconis Episcopi Tauromenitani, cujus, & Sociorum MM. Acta descripsit. An autem hæc genuina sint, an subdititia; anne legitima temporum injuriā perierint, incertum. Profectò ea, quæ extant apud Bollandum [6], ab eodem inter fabulosas narrationes accensentur, & à Tillemontio (7).

10 Duos Sanctitate celebres Episcopos hoc Sæculo Sicilia protulisse legitur. Everius unus Episcopus Catanensis, qui Valeriano, & Gallieno Imperatoribus Leontinum adiit, cum S. Neophyto illius Civitatis Episcopo nova Templa consecrare, ex Cajetano [8]. Plura etiam Catanæ, & inter præcipua illud B. Mariæ in Bethlehē juxta Stesichori Poetæ Sepulchrum, apud Maurolycum [9]. Hoc sane, pace per Gallienum Ecclesiæ reddita, non veroabsimile, accidisse. Clarus miraculis, & laboribus fractus ad Dominum migravit die 16. Novembris, ut habent Tabulæ Ecclesiæ Catanensis, apud Pirrum (10): de eo memoria in Actis Græcis SS. Fratrum, & apud P. Cajetanum [11].

11 Gregorius alter, Agrigentinus Episcopus, qui Corpus Sanctæ Mart. Agrippinæ à DD. Bassa, Paula, & Agathonio in Siciliam delatum, cum ad Agrigenti oras appulissent, veneratus traditur; & piis illis mulieribus Sacram Synaxim ministrasse, & Martyrii lauream, quā fuso pro Christo sanguine consecuturæ erant, prædixisse. Quin & ex eo coniicit Pirrus (12), quod & ipse Romæ Agrippinæ cruciatibus testis, & hortator, præsens adstiterit, quia Sacras Reliquias adorans, in id eruperit: *Ora pro me Filia, & memento, quòd optimum consilium tibi dedi, cum in pœnis consisteres, &c.* Sed in hac Historia vitiosus quidam Dialecticis circulus, itus, in idemq; reditus apparet. Tillemōtio (13) siquidem suspecta Acta translationis Agrippinæ videntur, quia memoriam iniiciunt Gregorii Episcopi Agrigentini, quem nonnisi sexto Sæculo sedentem legerat. Obtendunt Gregorios duos Siculi; secundum scilicet ex Ordine S. Basilii Magni

(1) *Isag.c.32.*(2) *ib.c.41.*[3] *ib.c.37.*(4)*t.1.SS.Sicul.*(5) *Bibl.Sicul.*(6)*ad diē 3.Maji*[7]*t.3.de Persec.Dec.art.14.*(8)*in Idæa* (9)*Hist.Sican.*(10)*l.2.Not. 1.Eccl.Cat.*(11)*t.1.SS.Sicul.*(12) *l.4.Not.4.Eccl.Agrig.*(13) *t.4.*

gni Monachum, qui anno 560. sub Justiniani Imperio Cathedram tenuit; primùm verò Sæculo tertio sub Valeriano. Pirrus tamen, & Cajetanus (1) ingenuè fatentur, non aliundè, nisi ex Historia translationis Agrippinæ, Episcopum hunc eruisse. Monumentum aliud certè suspitandum.

12 Inter celeberrimos doctrinæ famâ Viros, quos Sicilia tulit, numerandus Porphyrius Philosophus, de quo Augustinus (2) testatur, Philosophum ex Sicilia nobilem fuisse, famaque celeberrimum; in id propēdere videtur P. Cajetanus [3], quòd idem sit, ac ejusdem nominis Proconsul in Africa sub initio Sæculi quarti, ut habetur ex Codice Theodosiano, cum conseutiant tempora, & famæ celebritas. Ejus opera citat Augustinus (4), tamquam bonum testimonium, & quòd magis ab homine Ethnico, de Christo Domino præseferentia, & doctrinæ præstantiam alibi (5), disertè effert. Mongitorius (6) Ragusam sugillat, quòd in Siciliæ Bibliotheca veteri, Christianum dixerit, cum Ethnicum fuisse apertè constet ex Augustino; imò & in partes Morabitum (7) invocarit, apud quem nil certè ad rem suam legitur.

13 Porphyrium hunc aliqui turpiter confundunt cum alio Porphyrio, qui circa eadem tempora Christianæ Fidei desertor, in ejuratam Religionem calamum acuit, & mordaci stylo invectus est, & in eumdem errorem traxere Doctores Parisienses, qui in Indice operibus Divi Augustini præfixo, Siculū Porphyrium hæresis, & blasphemiæ insimulant; quorum omnium hallucinationem Augustinus ipse claris pro Sicilia vindiciis pridem anteverterat. Porphyrius porrò iste à Christo extorris, & ad impietatem blasphemus, Tyrius fuit ex Eunapio Sardiano (8), & Libanio (9), sive Judæus Batanæotes, ut Hieronymo (10), & Lactantio (11) placuit. Hic anno 10. Gallieni Cæsaris Romam venit, Plotini Philosophi Platonici auditor, & inter primos charus, à cujus tamen doctrina aberrans, & penè in furorem versus, Romà proinde facessere jussus, anno 15. Gallieni in Siciliam venit, Plotino ipso comite, ut ipsemet [12] testatur, & Lucas Holstenius [13]. Messanam primò terigisse fertur ex P. Cajetano; inde Lilybæum contendit, ubi ad plures annos commoratus impia contra Christum dogmata evomuit, quem non esse Viam salutis, gratiæ, & veritatis, effutiit.

14 Augustinus, qui pro Christo libellum suscepit, Siciliam ab irrogata injuria, quòd fœdum hominem hunc à Christo extorrem peperit, apertè vindicat, alium sanè ab ipso Siculum Porphyrium agnoscens (14): *Missæ sunt mihi à Carthagine quæstiones sex, quas proposuit amicus quidam, quem cupiebam fieri Christianum, ut contra Paganos solverentur, præsertim quia nonnullas rerum à Porphyrio Philosopho propositas dixit; sed non eum esse arbitror Porphyrium Siculum illum, cujus fama est celeberrima* &c. Quinimo Christianæ Religioni faventem Siculum Porphyrium adhuc sub Ethnica-

fu-

(1) *loc cit.* [2] *Retract. l. 2. c. 31.* (3) *Isag. c. 34.* (4) *l. 1. de Cons. Evang. c. 15.* (5) *Ep. 49. ad Deogratias Presb.* (6) *Bibl. Secul.* (7) *Annal. Mess. ad an. 302.* [8) *de Soph. Vit. in Porphyr.* (9) *apud Socrat. l. 3. c. 19.* (10) *de Script. Eccl.* (11) *Just. l. 5. c. 2.* (12) *In Vita Plot.* [13] *de Vit. & Script. Porphyr. cap. 4.* (14) *Ep. 49. ad Deogratias.*

superstitione testatur alibi (1): *Quid quod isti vani Christi laudatores, & Christianæ Religionis obtrectatores, propterea non audent blasphemare Christum, quia quidam Philosophi eorum*, fortè Plutarcus, *sicut in libris suis Porphyrius Siculus prodidit, consuluerunt Deos suos, quid de Christo responderent? illi autem Oraculis suis Christum laudare compulsi sunt.*

15 Volaterranus (2), & Carolus Stephanus [3], Porphyrium hunc Romam remeasse, & ibi mortuum scribunt; eorum tamen lapsum ipsemet (4) detegit, & Holstenius [5]; affirmant quippe, Plotinum Romam reversum, post triennium in Campania vita functum; Porphyrium verò pluribus annis apud Lilybæum vixisse; ubi lucubrationes suas edidisse fatentur Hieronymus (6), & Holstenius (7), contra Baronium (8), qui in Bithynia elucubrasse scripsit.

16 Porphyrio Tyrio, vel Batanæori, tam malè de Christiana Religione merito, debet nihilominus Sicilia Chrysoarium suum, & illius in Mathematicis auditorem, cui introductionum librum, & alium de eo, quod est in nostra potestate, nuncupasse, ex ipsamet librorum inscriptione ad Chrysoarium, docet Holstenius [9]. An autem Libellum de Ætnæo igne Chrysoarius scripserit, ut sentit Ammonius, rogatu Porphyrii; an verò Porphyrius rogatu Chrysoarii, ut vult Holstenius (10); in incertum apud Eruditos est. Mihi quidem potiùs Chrysoario indignè adscribendus videtur, qui patriæ Insulæ miranda expertus noverat, quàm Porphyrio advenæ, quem Catanæ fuisse nullibi legimus.

17 Debet etiam superstitem Probi Philosophi Lilybætani memoriam, Viri Eruditissimi, quem convenisse Porphyrius scribit, ut secum scientiarum arcana conferret. Iste appellatione ipsa ferè omnibus Siculus, ex Goltzio (11); quamvis Matthæus Silvagius (12) laudem minuat, asserens ortu Cyprium, & sola antonomasia Lilybætanum, ex diuturna habitatione nuncupatum. Non mediocris tamen gloriæ est sæculari saltem scientia insignes Viros tam diù eodem simul ævo Siciliam incoluisse. Probi opera Philosophica vide apud Mongitorium [13].

(1) *lib. 1. de Cons. Ev. c. 15.* (2) *Anthropol. cap. 18.* [3] *in Diction.* [4] *In Vit. Plotin.* (5) *cit. cap. 2.* (6) *lib. 1. de Script. Eccl.* [7] *lib. 1. cap. 3.* (8) *ad ann. 302.* [9] *lib. 1. cap. 8.* [10] *lib. 1. cap. 6.* [11] *Sic. Hist.* [12] *Dialog. de trib. Peregr.* (13) *Bibl. Sicul.*

## §. IV.

## ECCLESIASTICÆ POLITIÆ ORDO.

1 INterruptam hoc Sæculo in Ecclesiis Siculis Episcoporum seriem Morabitus [1] nedum ad impia Cæsarum Edicta refert, sed & ad contagem, quâ totus ferè Orbis in vindictam fusi innocentium sanguinis afflictus legitur apud Orosium (2); *Exoritur*

al.

(1) *Annal. Mess. ad an. 262.* (2) *lib. 7. cap. 21.*

*nitio violati moninis Christiani; & usquequò ad profligàdas Ecclesias Edicta Decii cucurrerunt, eatenus incredibilium morborum pestis extenditur; nulla ferè Provincia Romana, nulla Civitas, nulla Domus fuit, quæ non illa generali pestilentia correpta, atque vastata sit.* Plurium nihilominus superstes ex traditione memoria, & ex Actis, quæ posterioribus Sæculis emersere, & mox referendi.

2 Tauromenii S. Nicon sub Decio sedisse fertur, ex Pirro (1). Animadverfor autem in ejus vitam apud P. Caietanum (2), subdubitare videtur, Episcopus fuerit, an Monachorum Abbas. Porrò cum in Græcia ab Episcopo quodam baptizatus, & Sacris initiatus sit, & ab eodem inauguratus dicatur, cæspitare cœpit in hoc, quòd Episcopus pro libito Episcopum consecrarit, & nulli Ecclesiæ addixerit. Attamen neutrum à prisca Ecclesiæ Disciplina abhorret; adhuc quippe ab Apostolorum temporibus consuetum, per Episcopum Episcoposcōstitui, ad Evangelicam fationem celeriùs maturandam, & recenter conversæ ad Christum plebi faciliùs consultum esset. Hinc de Paulo Æcumenius (3) scribit, *Quòd Titum reliquerat Gretæ, ut singulis Civitatibus constitueret Episcopos.... neque enim volebat totam Cretæ Insulam, quæ magna erat, uni commissam (4) esse Episcopo; sed singulas Civitates suum habere Pastorem (5).* Insuper quamvis contra Canonicas Sanctiones semper fuerit Episcopos Honoratios cōnstitui; nihilominus, ut legere est apud Natalem Alexandrum (6), quandoq; Monachi specialibus virtutum, ac doctrinæ meritis celebres, honoris causa, Episcopi consecrabantur, nulla plebe designata, qui coúsque in Monasterio manerent, quò vacantibus Ecclesiis præficerentur. Nulla igitur hæsitatione admittendum, ita accidere potuisse in Nicone, cujus ex Actis satis illustria sanctæ vitæ monumenta perenant.

3. In Ecclesia Messanensi lacunam video, quam inoppletam à Morabito relictam, implere conatus est Stephanus Maurus (7) innominatis quibusdam Episcopis, quos sedisse deducit ex suppositis, Zephyrino, & Eutychiano Romanis Pontificibus, Epistolis ad universos Episcopos per Siciliam constitutos. Infirmum mihi sanè, nisi aliundè sufsulciatur, argumentum; etenim præter Epistolarum ante Syricium suspicionem, idem argueretur de cæteris Cathedralibus Siciliæ Ecclesiis, Triocalitana, Lilybætana, Panhormiensi &c. Cur autem non dicatur ad eos tantùm, qui tunc temporis sederent, scripsisse? Paululum consecutionis vim elevaret literarum Zephyrini tenor, quò immanis judicum numerus pro Episcoporum causis definiendis præscribitur; quod certè vanum, & subsannandum, si tot tunc in Sicilia non sedissent. Sed & hæc hariolatio est, & nutanti Epistolarum, quas veluti spurias rejecimus, fundamento subnixa.

4 Valeriano, & Gallieno Imperantibus, Everium habuit Catana; Lipara Insula Agathonem; Agrigentum Gregorium primum, si plena Actis translationis Agrippinæ fides; Leontina Ecclesia Neophytū. Hunc Cajetanus (8) primum Episco-



(1) *lib.* 2. *Not.* 1. *Eccl. Taurom.* [2] *num.*7. (3) *in cap.*1.*ad Tit.*§.1.[4] *ibid. cap.*5. *art.*6.[5] *Apud Natal.Alex.sec.*4.*diss.unica* §.1. [6] *ibid.cap.*3.*art.*6. (7) *Mess.Protometr.c.*26. (8) *Isag.c.*37.

scopum appellat, quia priorem non reperit; quamvis & ab exordio nascentis Ecclesiæ Episcopum habuisse cõtendat Agathinus Castilionius apud Pirrum (1): post Neophytum Rhodippus in eadem Cathedra statuitur sub Diocletiano,& Maximianó. Hic Decessori non impar,S.Epiphanes Martyris Frater, sedem, quam merito occupavit, meritis illustravit.

5 Syracusana Ecclesia Christophoro Schobari, & M. S. Archetypo Tabularii sui Catalogum debet Episcoporum,intercisione nulla temeratum; utinam tam solidum, quàm artificiosè compositum. In eo suspicionem sui ingerit, quòd nuda dumtaxat nomina exhibeat Præsulum, quos prisci ævi Sanctitas,& severior Ecclesiæ Disciplina virtutibus insignes suadent. Post Euxium igitur, qui Sæculo ineunte sederat,recensentur Theophanator, Nestorius, Theochistus, Tullianus, Abrahamus, Eutychius, & Arthemius. De omnibus nil se habere, quod referat,dolet Pirrus (2):vix de Eurychio memoratur, quòd Panhormi extremum diem clauserit, dum Conventum,(ut legitur in Catalogo M. S.) vel Circuitum (ut scribit Schobar) ageret. Conventus certè Sacra Comitia;Circuitus verò Diœcesis invisendæ perlustratio intelliguntur. Cur autem Syracusanus Episcopus Panhormitanam Diœcesim lustraret, vel in ea Synodum cogeret, incompertum. Neutrum profectò temporibus illis congruũ, cum Aurelianæa Persecutio aut effervesceret,aut non diu pridem deferbuerat. Pirrus citatus ævum hoc Gregoriani Sæculi moribus dimetiens Eutychio commissas arbitratur Romani Pontificis vices conventum habendi, aut Panhormitanam Diœcesim visitandi; præsertim si tunc ante Mamilianum Cathedra vacaret. Cajetanus Primatiam Siciliæ universæ Syracusano Episcopo perpetim adjudicans, ex officio circumiisse propugnat, Provinciam lustraturum;sed sub illis annis nullibi Christiani Orbis demandata Apostolici muneris monumenta habemus,nec Primatias hujusmodi, cum cæteris Siculis Ecclesiis litem movere natas, à qua abstinendum, nec divinationibus insufflandum. Verosimiliùs ergo excussis in reliquis Insulæ Regionibus Aurelianæa Persecutione Episcopis, unum Eutychium, qui evaserat, undique circumcursasse, quò Siculo Gregi consuleret, unicus in Sicilia universa Pastor superstes. Hoc illius ævi sanctitatem sapit, & ædificandæ Ecclesiæ zelum.

6 Panhormitana Ecclesia Mamilianum suum, cadente penè Sæculo, effert; qui Diocletiani,& Maximiani Persecutione debacchante Suanam Thusciæ Urbem, cũ Nympha discipula aufugit. Sed hoc Tillemontio (3) non arridet; insuctum quippe Sanctis florentis Ecclesiæ Episcopis, Persecutoribus terga dare, & lupis exterminatoribus gregem deserere. Hinc fugam istam non Ethnicorum Imperatorum tempora sapere docet, sed Gothos, & Wandalos, quibus mos erat Catholicos Episcopos Ariana rabie proscribere, aut in fugam agere. Quòd si conjectura hæc apud Eruditos obtineat, non ante Sæculum 5. Mamilianus educendus est, cum primò Barbaræ hæ nationes Siciliã vastarunt. Scio quidem Animadver-

(1) *lib. 2. Not. 3. Eccl. Leont.* (2) *lib. 3. Not. 2. Eccl. Syrac.* (3) *tom. 3. de Persecut. Dec. an. 16.*

versorem in Acta S. Nymphæ apud Cajetanum (1) caput ictui subduxisse per hoc, quòd Mamilianus Angelo ductore è carcere egressus aufugerit, gregem non relicturus, nisi Deo per Angelum impellente. Sed ingenuè fatendum Sanctorum Siculorum Acta tam frequentibus Angelorum officiis abundare, quàm reliqua cæterorum vix raro meminerint. Nullus ferè, quem Angelus non duxerit, Angelus non nutrierit, Angelus non tumularit, Angelus Lipsana non transtulerit. Mirabilis certè Deus in Sanctis suis, sed Metaphrastem sapiunt adeò cumulata prodigia, & Siciliam Tillemontius [2] sugillat, quòd Scriptores suos in Sanctorum Actis conscribendis fabulatores potiùs, quàm Historicos habeat.

7 Suspicionem auget incisus Suanensi Mamiliani tumulo ab iisdem depositionis temporibus, ut acriter propugnat Pirrus (3), Archiepiscopi titulus, quippe, *Nomen Patriarchæ, & Archiepiscopi quatuor primis Ecclesiæ Sæculis inauditum*, eruditè demonstrat Natalis Alexander (4). Sæculo quidem quinto usurpari cœpit à solis Patriarchis; quo nomine Proclus Constantinopolitanus, & Cyrillus Alexandrinus in Theodosii Cæsaris obsequiū, in communionem recepere Juvenalem Episcopum Hierosolymitanum, cui Cæsar administrandam contulerat Palæstinam, Phœniciam, & Arabiam (5). In Occidente autem universo eousque inusitatum ostendit Piccolus [6]: *Etsi enim in Oriente toto, qui ejus gentis fastus fuit, & arrogantia cum ipsa penè nascentium Ecclesiarum origine Archiepiscoporum nomen usurpari cœperit; constat tamen apud Occidentis Orbem serò nimis appellationem eam receptā; quin & prohibitum quoque in Carthaginensi Concilio legimus, ne quis Archiepiscopus diceretur, qua una conjectura Baronius tom. 8. an. 692. num. 18. imposturam detegit Actorum quinisextæ Synodi, nempè appendicis centum, & octo Canonum ad sextam Synodum, in qua Cyprianus Carthaginensis Archiepiscopus appellatur, inusitato id temporis,* anno 690., *apud Occidentales nomine, eodemque argumenti genere alibi refellit idem auctor tom. 8. anno 593. num. 81. Epistolam Gregorio I. affictam, qua ille Marinianum Ravennatem Antistitem Archiepiscopi nomine salutat: quàm procul, inquit, ab Gregorii ævo, & usu, qui nonnisi Episcopum, & Fratrem Ravennatem Præsulem nominare consuevit.*

8 In Galliis quidem ejuratæ appellationis ejusmodi adhuc 6. Sæculo monumenta profert laudatus Alexander; cùm prolixiùs S. Remigii Episcopi Rhemensis testamētum expungit, quód tale vocabulum usurpet (7). Imò ipsum adhuc Metropolitis insuetum evincit ex Concilio Matisconensi primo, ubi Metropolitæ sex, qui subscripsere, nonnisi Episcopi titulo usi sunt (8). In Italia verò temporibus Ambrosii, qui penè 5. Sæculi initia attigit, nomen illud posterius; cum ab eo recētiores Critici librum de Dignitate Sacerdotali abjudicent, quia Archiepiscopi appellatio interjecta (9); in Sicilia demum nullum Archiepiscopum, imò nec Metropolitam

N 2

(1) *t.1.SS.Sicul.*[2] *t.3.de Persec.Dec.art.4.*(3) *l.1.t.1.Eccl.Pan.*(4) *Sæc.1.c.12.art.3.*[5] *apud eund.Sæc.5.diss.16.*[6] *de antiq.jure Eccl.Sic.p.1.c.23.*(7) *Sæc.6.c.4.art.3.*[8] *ibid.Act.23.*[9] *ap.eund.Sæc.4.c.6.art.27.§.1.*

litam, dictum ante 9. Sæculum, propugnat Joseph Cantellus (t).

9 Non hæc scribimus, quia aut à Sæculo 3. abducere Mamilianum cordi sit, aut Archiepiscopali honore Panhormitanam Ecclesiam spoliare; sed ut hæc duo ostendamus malè adstrui, nēpe Mamilianũ Sæculo 3. sedisse, & Archiepiscopalem inscriptionem condito ejus tumulo coævam: ex hoc quippe potiùs Mamilianus à Diocletiani ævo abducitur, quàm 3. Sæculo Archiepiscopalis Dignitas Panhormitanæ Ecclesiæ adstruatur. Antiquior Suanæa fortassis Romana inscriptio in Æde S. Mariæ in Monte Cœlio, ubi Episcopi nomine jacens Mamilianus indigitatur.

10 Ecclesiastica igitur Siciliæ Politia Sæculo 3. prioribus duobus non absimilis. Pastores Episcopi gregemChristi pascebant; à nullo in alterius finibus aliquid ferebatur, vel metebatur. Recentiores humili priscæ Ecclesiæ disciplinæ turgidi hi tituli, & necessitate cogente inducti pro Hierarchici ordinis custodia, nequis saperet plusquam oporteret. Nōdum Sancto illo ævo in Sicilia enatæ Præsulum contentiones: quis eorum videretur esse major.

(t) *Hist. Urb. Metropol. p. 3. diss. 5. c. 5.*

## §. V.

## SÆCULARIS IMPERII ANALECTA.

1 SEverum ineunte Sæculo 3. Cæsarem excepit post fatum ultimum anno 211. Antoninus filius, Caracalla dictus, à talari veste, quam Populo dederat; quem Sicilia puerum enutrierat, Patre Proconsule (1). Plautilla Uxor jussu Mariti in Siciliam relegata, ibiq; occisa (2). Caracallæ cæde Imperium sibi comparavit anno 217. Opilius Macrinus, Natione pluribus Maurus, Siculus Zonaræ (3); cui grates debet Sicilia, quòd Cæsarem ex ejus sinu unus, vel primus eduxerit. Post annum, Macrino sublato, Orbis regimen adeptus Heliogabalus, à quo nil boni habitum, nisi quòd Alexandrum Consobrinum adoptarit, & Cæsarem dixerit; qui post ipsius necem Imperator acclamatus anno 222. Hunc Mammæa Mater Fœmina præstantissima, & sapientissima, Christiano lacte imbuta, probè educavit; ipsique aut Origenis officiis, quem Antiochiam, ubi cũ Heliogabalo nepote morabatur, Magistrum vocaverat, pacem, qua sub Alexandro potita est, Ecclesiam debere, fatetur Tillemontius (4). Mammæam cum Semiamira sorore, Heliogabali Matre, Morabitus mox citatus origine Messanensem affirmat: earum quippe Mater Mœsa à Boccatio Sæculi 13. Scriptore Messanensis renunciatur; unde urbici Scriptores, etsi non Cæsares, Matres saltem Messanenses generæ se habere gloriantur.

2 Anno 235. Alexandro cum Mammæa Matre militum conspiratione trucidato, Maximinus Cæsar invo-

(1) *ex Inveg. Pan. Sac. ad hunc an.* (2) *Spart. in Sev. Xiph. in Carac. Patarol in Carac.* (3) *ap. Morab. ad ann. 227.* [3] *tom. 3. in Callist. & in Origen. art. 14*

invocatus à milite, Senatu renuente, cujus artibus ferè post biennium Gordianus cum filio appellati Augusti. His post annum interfectis, scissuram passum Romanum Imperium, Senatu nempè Pupienum, & Balbinum Imperatores nuncupante, Populo autem, ac Exercitu Gordianum Nepotem, qui illis excussis tandiù regnavit, donec Philippi Arabis dolo circumventus est anno 224., & insidiator *ingenio, & non jure obtinuit Imperium*, ut ait Julius Capitolinus. Huic post quinquennium militum rabies vices rependit, quo occiso clarus Decius; & eo paludis gurgite absorpto anno 251. subrogati Gallus, Hostilianus, & Volusianus. Hi adhuc post biennium tristi morte excussi Æmiliano concessere, trimestri Imperatori; quem mox excepit Valerianus cum Gallieno Filio. Patre autem anno 259. à Persis capto, Gallienus solus obtinuit ad annum usque 268.

3 Sub his temporibus Siciliam à Francis vexatam reponit Tillemontius [1], & Grassatorum, ac Servorum rebellātium tumultibus concussam. Verùm ad posteriora tempora Frācicam devastationē antiquiores producunt; neque apud ipsorum quemquam, adhuc rerum Siciliæ Scriptores, hanc Servorum conspirationem legere est. Orta fortassis æquivocatio ex Trebellii Pollionis [2] verbis illis; *denique quasi conjuratione totius Mundi, concussis Orbis partibus, etiam in Sicilia quasi quoddam Servile bellum extitit, Latronibus evagantibus, qui vix oppressi sunt.*

4 Post Gallienum Claudius II. biennio imperavit; cujus non ob id solummodo breve Imperium, sed etiam quia adeò laudatissimus Princeps, ut *breve fuisset, etiamsi quantum hominum vita suppetit, imperare potuisset*; ut idem Trebellius (3) testatur. Post ejus fata Quintillus Frater occupatum Imperium infra septemdecim dies dimisit anno 270. Aureliano; postquam Tacitus semestris, & Florianus Frater bimestris Augusti sedere, suffectus anno 276. Aurelius Probus.

5 Sub ejus Imperio Syracusas à Francis devastatas affert Baronius (4); licèt hanc depopulationem Wandalis potiùs tribuat Flavius Vopiscus (5). Hæc fortassis eadem Francica incursio, quæ Tillemontio laudato sub Valeriano visa accidisse. Ad Probi tamen tempora revocandam cōstat ex Eumenio [6]: *Recursabat in animos illa sub D. Probo, & paucorum ex Francis captivorum incredibilis audacia, & indigna felicitas; qui à Ponto usque correptis navibus, Græciam, Asiamque populati; nec impunè, plerisque Libiæ littoribus appulsi, ipsas postremò navalibus quondam victoriis nobiles ceperant Syracusas; & immenso itinere pervecti Oceanum, quà terras rupit, intraverunt; atque ita eventu temeritatis ostenderant, nihil esse clausum Pyraticæ desperationi, quò navigiis pateret accessus.* Idem refert de hac invasione Zosimus (7): *Cum Franci ad Imperatorem*, qui Probus, *accessissent, & ab eo sedes obtinuissent, pars eorum quædam defectionem molita, magnāque navium copiam nacta, totam Græciam conturbavit, in Siciliam quoque delata, & Urbem Syracusanam adorta, magnam in ea cædem edidit.*

6 Anno 282. M. Aurelius Carus Imperium adeptus est, qui Carinum, & Numerianum Filios Cæsares

(1) *t.3.de Persec.Valer.art.* 11. (2) *in Gallien.* [3] *in Claud.* [4] *ad an.* 282. (5) *in Probo* (6) *in Paneg.Constant.* (7) *lib.*1.

ſares dixit, & iis eodem anno conceſſit. Anno ſequenti ſublatus Numerianus, & ſolum in Orbis Impetio Carinum reliquit, quo poſt annum excuſſo, Diocletianus obtinuit. Eo Imperante Barbaricis irruptionibus ubique per Orbem nutavit Imperium; ad cujus ſuppetias anno 284. Maximianum Herculeum Collegam vocavit; & anno 292. etiam Conſtantium Chlorum, & Galerium Maximianum Cæſares creavit; quibus abundè Reipublicæ labentis ſecuritati conſultum. Ex duobus Maximianis alterum, fortaſſe Galerium, cui Africa obtigerat, Sicilia cadente Sæculo vidit, & indoluit. Ferox quippè, & Chriſtiani ſanguinis ſitientiſſimus. Hinc ex Africa profectus, Siciliam, prinſquam Romam veniret, tetigit, quam Fidelium ſanguine conſperſit; & de ejus fetali adventu hoc in Menologiis Græcis monumentum(1): *Cumque perveniſſet Lilybæum, ubi Maximianus Imperator verſabatur, capite obtruncatus cum Principe, & aliis Chriſtianis, quos ex Nicomedia comes adduxerat, quibuſcum S. Agathonicus Martyr corona decoratus eſt.*

7 Proconſulate Siciliæ Gubernium integro hoc Sæculo perſeveraſſe, ex Actis Martyrum habemus, in quibus de Armato, Quintiano, & Tertullo Inſulæ Procoſſ. memoria. Conſularem autem Siciliam fuiſſe adhuc ante Conſtantini Magni tempora, aliqui contendunt, eo quia in Gallicano Breviario Quintianus Conſularis nuncupatur; Tertullus verò non ad annum, qui Proconſulum mos, ſed ad ſexennium, à Decio nempè ad Valerianum, & Gallienum, Provinciam adminiſtrarit, & Legatos, ſeu Aſſeſſores tres, Alexandrum, Marcellum, & Colymbionem habuerit; quod Conſularium nota, ex Dione (2).

8 Sed certè non adeò ſuperſtitioſi Eccleſiaſticarum rerũ Scriptores, ut ex legitima appellatione declinare nimis morentur. Idẽ quippe Quintianus in Romano Breviario Siciliæ Prætor; apud Metaphraſten Præſes, ex Actis Græcis D. Agathæ Dux nuncupatur. Quin & id Sęcularibus Scriptoribus quandoq; commune. Unde ex Apologia Apuleji Avitus Africæ Proconſul, Conſul deſignatur. Non negaverim tamen hiſce temporibus inclinantem priſcam, & ſeveriorem Reipublicæ diſciplinam: exinde Cæſares libidine, non legibus agentes, omnia confudiſſe; & quæ Conſulum erant, ſive Gubernii tempore protracto, ſive forma immutata, Proconſulibus indulſiſſe, de quibus legendus P. Cajetanus (3).

TERTII SÆCULI
FINIS.



(1) *apud Morab. ad an.* 297. (2) *l.* 53. [3] *Iſag. c.* 43.

SÆ-

# SÆCULUM QUARTUM.

## §. I.

## ECCLESIASTICARVM RERVM SYNTAGMA.

1 SEdebat sub Quarti Sæculi luce prima in Romana Cathedra Marcellinus, quem violatæ Religionis reum Baronius (1), aliique passim traducunt, quòd thus Idolis adoleverit, Diocletianeæ Persecutionis vertigine abreptus; dein in Concilio Sinvessano Episcoporum 300. in Crypta Cleopatrensi congregato errorem confessus, pœnitentia peracta, paucos post dies Martyr occubuerit. Vindicant tamen catervatim Recentiores cum Natali Alexandro (2), & utroque Pagio; & Synodi illius Acta, veluti fabulam, parachronismi, ac locorum, temporumque incohærentiæ arguunt. Nullibi quippe gentium apud Geographos, & Historicos constituta reperitur Civitas illa Sinvessa, & Cleopatræ Crypta; nec adeò atrociter Persecutione debacchante, sub ipsis ferè Cæsaris oculis, trecentos Episcopos convenisse credibile est; cùm vix plena pace sub Constantino totidem Niceæ consedisse legamus. Alia etiam magni ponderis momenta cumulant Recentiores.

2 Circa eadem tempora florentes in Sicilia Fidelium copia Ecclesias Agrigentinam, Catanensem, Tauromenitanam, Messanensem, consignant Acta S. Felicis Episcopi Thibarensis, qui ex Africa profugus, ibi lætanter exceptus apud Surium (3), & Baronium, *Jejunat, Felix, in Portum pervenit, & in Civitate Agrigento exceptus est à Fratribus cum summo honore. Inde venerunt in Civitatem nomine Catanam, ubi similiter sunt excepti. Inde Tauromenium venerunt, inde Messanam; ibi similiter sunt excepti. Postea fretum navigaverunt in partes Lucaniæ &c.* Hinc meritò Animadversorem in Vitam S. Fantini Confessoris apud P. Cajetanum (4) vellicat Morabitus (5), quòd ignaviter scripserit Messanam tunc Idolis servientem, quasi nedum Evangelium ibi illuxerit; & à Magistratu Mamertino conquisitum Fantinum, ut Christianæ Fidei pœnas lueret. Consultiùs sanè scripsisset, Religionem eo temporis Dominantium Messanæ (quod & Siciliæ universæ, imò & Urbi, & Orbi cōmune) Idololatricam fuisse; indeque Romani Imperii Ministros, Fantino indixisse, ut Idolis Sacra faceret.

3 Anno Christi 308. Marcellino in Sede Romana suffectus Marcellus post triennale Interpontificium; qui tamen Eusebium in Chronico subterfugit; fortassis quia nominis ambiguitate deceptus in unum cum Marcellino conflavit. Eum anno 310. in pace occumbentem excepit Eusebius Græcus, qui ante quintum mensem Melchiadi Afro concessit; sub quo Donatista- rum

(1) *ad an.* 303. (2) *Sæc.* 3. *diss.* 20. (3) *ad diem* 24. *Octobris* (4) *tom.* 1. *SS. Sicul.* (5) *ad an.* 301. *Annal. Mess.*

rum Schisma in Africa inchoatum probabiliùs docet Pagius (1), quod Baronius ad annum 306. constituit; & tandiù exarsit, donec anno 313. in Romana Synodo Cæcilianus Charraginensis Episcopus Catholicæ Disciplinæ Zelotes ab inustis notis absolutus est: Donatus verò à Cassisnigris convictus, & damnatus, quòd Catholicos ad suas partes subdolè tractos rebaptizarit, & alia contra Orthodoxam Fidem admiserit, de quibus latè Natalis Alexander (2).

4 Eodem celebrati Concilii anno primum Ecclesiæ tranquillandæ lumen effulsit è Cœlo, in quo Signum Crucis Soli in Occidentè vergenti à meridie imminens Constantino Imperatori visum, cum Epigraphe: *In hoc vince*. In eo quasi ostento cum hæsitaret Cæsar, *Dormienti*, scribit Eusebius (3), *Christū Dei cum signo in Cœlo monstrato visum esse, præcepisseque, ut exemplari, ad imitationem illius signi, quod in Cœlo apparuerat, fabricato, eo tamquam præsidio in præliis cum hostibus committendis uteretur.*

5 Anno Christi 314. excedenti è vivis Melchiadi subrogatus in Cathedra Petri Silvester Romanus, quo sedente reddita Ecclesiæ Pax per Constantinum, Idolorum Phana Christi Templis cessere; undè effectū, quòd Lithurgicæ Disciplinæ, & Sacris Ritibus pacato animo intentus Silvester ea ediderit, quibus usquenunc Ecclesia fruitur. Eodem anno Donatistæ de Concilii Romani sententia, quasi de injuria indebitè apud Cæsarem conquesti: hinc indictum Arelatense Concilium, Constantino convenientibus Episcopis sumptus ministrante; in quo tamen Romanæ Synodi judicium approbatum. Chrestum Syracusanum Episcopum interfuisse, cum Floro Diacono, & aliis ex Sicilia Episcopis, Constantino impellente, colligimus ex ejusdem ad Chrestum Epistola, quæ ex omnibus ad reliquos datis superstes; & tenor talis.

*Constantinus Augustus Chresto Syracusarum Episcopo Salutem.*

*JAM dudum cùm nonnulli improbo, & perverso animo à Sancta Religione, & Cœlesti Evangelii doctrina, ac potentia, & à Catholica Ecclesia opinione discedere cœperint, cupiens equidem ejusmodi lites, ac controversias inter vos exortas dissolvere, ita scripsi, ut missis à Gallia quibusdam Episcopis, quin etiam ex Africa aliis adversarum partium accersitis, qui inter se maxima cum pertinacia, & animorum contentione digladiantur, & Episcopo Romano etiam coram, hoc dissensionis quidquid videatur possit illis præsentibus accurata dijudicatione in rectam viam reduci. Verùm quoniam, sicut usu venit, quidam tam suæ salutis, tum veri cultus, qui Sanctissimæ Christi Religioni debetur, penitùs obliti, adhuc privatas inimicitias exercere, & graves simultates gerere non desinunt; dum nolunt, aut Concilii judicio jam facto acquiescere; dumque definitè affirmant, paucos admodum fuisse, qui suas ipsorum sententias palam in Concilio proferebant: iique ipsi, cum non omnia, quæ antè quæri debuerant, accuratè quæsita essent, ad judicium dandum properè, & valde celeriter festinabant; atque ex iis omnibus eo fieri contigit, ut tum illi ipsi, quos fraternum, & concordem animorum con-*

(1) *in Melchiad.* [2] *Sec. 4. c.3. art.1.* (3) *l.1. de Vit. Const. c.22.*

*consensum inter ipsos retinere oportuerat, turpi, imò nefaria, & impia dissensione discordent; tum aliis hominibus, qui mentes à sanctissima Religione alienas habent, ansam ludibrii, & irrisionis præstent. Idcirco mihi sedulò providendum erat, ut istud, quod post judicium antea prænunciatum, sua sponte componi, & tranquillari debuerat, etiam jam tandem multis præsentibus Episcopis exitum, & finem consequatur. Proinde quoniam plurimos Episcopos ex Locis diversis, & prope infinitis in Urbe Arelatensium ad Kalendas Augusti convenire mandavimus; tibi etiam per literas significandum putavimus, ut accepta rheda publica à clarissimo viro Latroniano Siciliæ Conductore, duobus item aliis Episcopis ex sede secunda, quos tu ipse tibi maximè deligendos judicaveris, tibi in societatē adscitis; quin etiam tribus famulis, qui vobis inter vias ministrent, assumptis, ad eum diem in loco præscripto aliis occurras: quò per tuā gravitatem, & consentientem sententiam reliquorum, qui eò commeant, hoc dissidium, quod hactenus improbè ob turpes, & scelestas concertationes continuatum fuit, simulatque ea, quæ ab utraque factione Episcoporum (quos simpliciter adesse mandavimus) audita fuerint, possit, licèt serò, ad debitam religionem, fidem, & fraternam concordiam aliquando revocari. Deus omnipotens in multos annos te nobis servet incolumem.*

Parum fuerat Scriptoribus Siculis, quis Latronianus iste Siciliæ Conductor vocatus fuerit, pacificè disquirere, calamos exacuere, verùm & dentes pro susceptæ in clientelam Urbis Primatu, sive Sacro, sive Politico, decertantes, & lis exorta, qualis Chrestus iste fuerit, cui uni ex Siculis Episcopis literas dederit Augustus; de quo nos infra §. 4. & 5.

6 Sub hoc Pontifice, Orbis universi pestis illa Arius ab Ecclesia Alexandrina primùm emersit; contra quem anno 325. congregata magna Nicæna Synodus Episcoporum 318. celeberrimo illo Osio Cordubensi Episcopo, ac Vito, ac Vincentio Romanis Presbyteris Silvestri Pontificis vices gerentibus. Huic Constantinus interfuit, & Christianæ moderationis insigni exemplo infimum post Episcopos, ac nonnisi ipsis annuentibus, locum tenuisse legitur. Damnatus prætertim in Concilio Arius, extinctum Meletianum Schisma, & excussa œcumenico Decreto, quæ à Pii Romani Pontificis temporibus diù exarserat inter Orientis, & Occidentis Ecclesias de vero Paschatis celebrandi die controversia.

7 Cum cæteris adhuc Siculos Episcopos consedisse, non ambigendum; quorum tamen nomina posteris Actorum hujus Synodi clades invidit, qua Patrum Occidentalium subscriptiones ferè ex integro excidère; &, ut aliis placet, Canones plures; de quo legendus Baronius [1]. Unius Capitonis apud Athanasium (2) superstat monumentum, incertæ Sedis in Sicilia Episcopi, (de quo nobis §. 4. redibit sermo), quem tamen inter strenuos Catholicæ assertionis commilitones annumerat, qui verbo, scriptoque fidem propugnarunt; & qualis fuerit ab iis conjiciendum, quos ipsi Socios Athanasius (3) recenset his verbis: *Si igitur scripta ista ab Orthodoxis proficiscerentur, qualia sunt magni illius Confessoris Osii, Maximini Galliæ,* O *aut*

(1) *ad ann.* 325. (2) *lib.* 1. *contr. Arian.* (3) *tom.* 1. *or.* 1. *ad Ep. Ægypt. & Lib.*

*aut ejus successerit, aut Philogonii, & Eustaebii Orientis Episcoporum; aut Julii, & Liberii Romanorum Pontificum, aut Cyriaci Mysiæ, aut Pisti, & Aristæi Græciæ Episcoporum, aut Silvestri, & Protogenis Daciæ, aut Leontii, & Eupsychii Cappadociæ Episcoporum, vel Cæciliani Africæ, vel Eustorgii Italiæ, aut Capitonis Siciliæ, aut Macarii Hierusalem, aut Alexandri Constantinopoleos, aut Pedorotæ Heracleæ, vel magni illius Meletii, Basilii, Longiani, cum cæteris Ponti, Armeniæque Pontificibus, vel Lupi, & Appiani Ciliciæ, vel Jacobi, & reliquorum Mesopotamiæ Præsulum, aut nostri Beati Alexandri, cæterorumque, qui cum eo sunt ejusdem sententiæ; nihil esset, quòd in his scriptis suspicarer. Sincera enim, & simplicia Apostolicorum Virorum ingenia sunt.*

8 His ab absoluta Synodo revertentibus Sicilia debet primi celebrari Provincialis Concilii decus, cuius meminit S. Athanasius (1), & in eo acclamata Nicæna Fides, & Arius execratus. Hoc ad annum 326. constituit Mongitorius [2]; ejus autem calculo adeò tenaciter Siculorum animis Nicænæ Synodi Catholica disciplina insedit, ut ab ea nunquam avulsi legantur, cùm totus penè Orbis se Arianum ingemuerit: hinc gravissima Constantis Ariani Imperatoris procella Catholicam Ecclesiam quatiente, à partibus stetere Siculi cum Liberio Romano Pontifice, magno Athanasio, cæterisque ejusdem Confessionis Episcopis, ùt legere est apud eundem Athanasium (3); idemque disertè testatur Basilius (4) in sua ad Neocæsarienses Epistola: *Justitiæ est autem, res nostras judicari, non ex uno, aut altero, qui non rectè ambulant ad veritatem, sed ex multitudine Episcoporum per Orbem terrarum nobis conjunctorum per gratiam Christi. Examinentur autem Pisidiæ, Lycaones, Isauri, Phryges, utrique Armenii, quantùm nobis vicinum est, Macedones, Achæi, Illyrii, Galli, Hispani, Italia universa, Siciliotæ, Afri, Ægypti pars sana, Syriæ reliquiæ; qui & ad nos literas mittunt, & rursus à nobis accipiunt, ex quorum literis licet vobis discere, tum ex his, quæ illinc afferuntur, tum ex his, quæ hinc rursus remittuntur ad ipsos, quòd concordes omnes sumus, unum & idem sentientes.*

9 Magnum Ecclesiasticæ Historiæ Scriptoribus negotium iniiciūt Acta quædam Silvestro tributa, ex quibus ab eo baptizatum, & lustrali lavacro à lepra mundatum Constantinum Imperatorem habemus. Etsi hæc à Recentioribus Criticis oppugnantur, vel quia Apostata Julianus Constantini gener, & in Imperio successor Christianos exprobrasset, quod Baptismus lepram leprosi non auferat, si tam recens Soceri Cæsaris à lepra Baptismo sanati memoria suberat, vel ex Cyrillo Alexandrino, qui impii subsannationem refutaturus (5), neglecta litera, ad mysticum sensum confugerit, animi, non corporis munditiei institutum Baptismum adstruens. Sed de his plura apud Natalem Alexandrum, & Pagium, quamvis commaniter semper firmum remaneat tam ex authoritate, quàm ex validis conjecturis, Regenerationis Constantini lavacrum Romæ sub Silvestro accidisse.

10 Ex iisdē, aliisq; Actis refertur celebris illa Cōstātini Donatio Romanæ Urbis, & Occidentalium Regio-

(1) *Ep. ad Episcop. Afr.* [2] *Appar. ad Bibl. Sicul.* (3) *Ep. ad Solitar. Vit. agēt.* [4] *Ep. 75.* [5] *l. 7. contr. Julian.*

gionum facta Silvestro; quamvis Edictum à Græcis confictum Baronius ipse acerrimus Romanæ Ecclesiæ jurium assertor inter apocryphas scripturas adscribat, & certiori jure Urbis dominium penes Ecclesiam firmet. Particularibus etiam Urbis Ecclesiis donaria quædam pius Constantinus elargitus fuit, imò & publicorum vectigaliũ per Romani Imperii Provincias proventus, quod habemus ex Nicephoro (1): *Constantinus cũ constitueret, atq; ordinaret Ecclesias, ex cujusve Urbis proventibus toti Clero, quantum ad vitam tolerandam satis esset, rerum necessariarum tribuit, eamq; rem functione legis confirmavit.*

11 Quantum ad Siciliam attinet, ex ea satis Ecclesiis donatum à Constantino legimus apud Anastasium Bibliothecarium [2], & Baronium (3): *Massam in Castis,* sive Capris, *in Territorio Catanensi præstantem solidos mille; Massam Trapeam in Territorio Catanensi præstantem solidos mille sexcentos quinquaginta. Sacro fonti: Massam intra Siciliam Tauranam ex Territorio Parthiensi, (vel Parthenicensi) præstantem solidos quingentos.* Leontius item Abbas in Vita S. Gregorii Agrigentini apud Cajetanum [4] refert dedisse Sanctis Apostolis mediam Civitatem Agrigentinam. Sed subdubitat P. Cajetanus, an potiùs Massam aliquam in Territorio Agrigentino donarit; rationabilis sanè Eruditis suspicio; serò quippe nimis Civitates, & Oppida Principum munificentiâ Romanæ Ecclesiæ donata affirmant; unde Natalis Alexander [5] suppositiitiam reputat Vitaliani Romani Pontificis Epistolam ad Siculos Monachos anno 655. missam, ex qua eruitur, Benedictinos tunc Civitates, & Castra ubertim in Sicilia possedisse, ea ductus ratione, quòd nec ipsa Romana Ecclesia adhuc unius Oppiduli Domina tum fuisse legatur. Ego quidem medietatem potiùs Agrigentinorum vectigalium indulsisse arbitror, in quo sensu legendus Anastasius citatus, qui Basilicæ SS. MM. Petri, & Marcellini in Via Lavicana Constantinum dedisse affirmat *Insulam Sardiniam cum possessionibus omnibus præstantem solidos mille, & vigintiquatuor. Insulam Mosenum cum possessionibus ad eam pertinentibus præstantem solidos octingentos, & decem. Insulam Atitiæ cum Monte Argentario præstantem solidos sexcentos.* Incredibile quippe, exiguũ adeò Regnorum, & Insularum proventum fuisse.

12 Hinc Pirrum (6), quem ex conatibus Historicis satis laudo, exsibilandum censeo, qui post exturbatum à Messanensi Cathedra Eleutherium (an feliciter, alibi expendimus) desultorio quodam scribendi genere, nulloque, quem Vir Eruditus percipiat, sermonis contextu ducente, crassa hallucinatione Mosenum Insulam ab Anastasio relatam cum Messana Siciliæ Insulæ Civitate unà commiscens, insulsè subdit: *Antequam verò ad ea, quæ in reliquis annis se offerunt, transiliam, addam id, quod à meo instituto non longè abest, Constantinum scilicet Imperatorem Basilicæ in Via Lavicana inter duas lauros BB. Petri, & Marcellini dedisse Messanam cum possessionibus suis præstantem solidos octingentos, & decem.* Quid Constantinianæ Donationi cum Eleutherio, & Messanensis Ecclesiæ subsequenti Episcoporum serie, ut fel hoc interspersum non



(1) *l. 10. c. 5. n.* (2) *in not. Sil.* [3] *ad an. 324. n. 70.* (4) *Isag. c. 40.* (5) *Sæc. 7. c. 1. art. 5.* [6] *Not. 2. Eccl. Mess.*

longè ab inſtituto abeſſe dicatur? Si alicubi Meſſanam pro Moſcno legit, Acta Silveſtri in pluribus depravata legerat in Baronio (1); & Anaſtaſium melioris fidei ſcriptorem conſulere oportuerat. Nemo ſanè rationis compos, qui Maſſam unà in Catanenſi Territorio audierit pendentem ſolidos mille ſexcentos quinquaginta, ſibi ſuadeat ſine lapſu Civitatem integram, & certè omnibus Catanæ Urbi ipſi præferendam, præſtare octingentos, & decem. Morabitum (2) viciſſim, qui Pirrum roſtro, & unguibus excepit, nec laudo. Poterat ſanè, pace ſanctè ſervata, irridenda ridere, & in patriæ Urbis gloriam retorquere ſcomma; quæ libera adeò Civitas à priſcis Romanorum temporibus, ut quæ ſibi (3) Urbs Magna ex Euſtathio, Maxima, & Locupletiſſima ex Tullio, Splendida, & Opulenta ex Polybio, Pulcherrima, & Opulentiſſima ex Sabellico &c. nihilominus nonniſi ſolidos octingentos decem vectigalium penderet.

13 Anno Chriſti 336. Silveſtro ad Cœleſtem Patriam evocato, Marcus Romanus obtinuit. Sub eo ptima Pallii mentio, quo Patriarchæ, & Archiepiſcopi utuntur, quamvis ejus originem Marco antiquiorem exiſtimet Baronius apud Pagium (4); ſed fortè non nimis ante ipſum invaluit; ſed reddita Eccleſiæ tranquillitate per Conſtantinum, & Eccleſiaſtica Politia in anguſtiorem ordinem elata. Id certum, quòd Marcus primò ex Epiſcopis Oſtienſi Romani Pontificis conſecratori Pallii privilegium indulſerit ex Anaſtaſio. Ejus ſeſſio ex Chronico Damaſi vix octavum menſem prætergreſſa; ſub eo tamen coacta Conſtantinopoli Arianorum Synodus, quamvis Sedem illam tunc occuparet S. Alexander Apoſtolicus vir, & Nicænæ Confeſſionis propugnator acerrimus; in qua iniquè damnatus Marcellus Ancyranus Nicænæ Fidei profeſſor. Nullus ex Sicilia Epiſcopus ſubſcripſiſſe reperitur, quia injuria fortè temporum excidère. Adſuiſſe tamen conjicit P. Cajetanus ex hoc, quòd *Epiſcopi Ariani literis, quas in Pſeudoſynodo Sardicenſi ſcripſere, affirmant Protogenem Sardicæ Epiſcopum, & N., nomen interiit, Syracuſarum Epiſcopum ſententiæ adversùs Marcellum Ancyranum ſubſcripſiſſe, qui in ſuſpicionem vocatus, cum Paulo Samoſateno ſentiret, Epiſcopatu in ea Synodo dejectus eſt.* Et ibidem Catholicos Epiſcopos conſueviſſe Arianorum Synodis intereſſe, evincit teſtimonio Baſilii (5), qui ſe in Lampſacena Semiarianorum Synodo confeſſiſſe aſſerit; & in Epiſtola Synodali ad Jovianum Imperatorem anno 363. ab Antiochena Synodo miſſa plures Catholici, & Meletius ſubſcripſerint. Sed certè ratio hæc non nimis obtinet apud eos, qui Lampſacenam Synodum Catholicam teſtantur, & Antiochenam illam Nicænæ Fidei formulam edidiſſe, inter quos Natalis Alexander (6).

14 Poſt Marcum anno 337. Julius Romanus conſecratus; quo ſedente Natalis Domini dies, qui antea idem, ac Epiphaniæ, ſeu Adorationis Regum, & Chriſti Baptiſmatis apud Occidentales ſecerni cœpit, & die 25. Decembris celebrari, licèt in Oriente id ſeriùs obtinuerit, ut legere eſt apud Pagium (7). Sub ipſo Synodus Romæ habita anno 342. in qua ad trutinam cauſa Athanaſii

(1) *ad an.* 324. *n.* 117. (2) *Annal. Meſſ. ad ann.* 324. (3) *tit.* 15. §. 9. (4) *in Marco* [5] *Ep.* 79. [6] *Sæc.* 4. *c.* 3. §. 30. & 31. (7) *In Jul.*

nasii revocata, qui perpetim innocens habitus. Superstitem adhuc interfuisse Capitonem Siciliæ Episcopum, coniicere se ait Morabitus(1), sed non asserere.

15. Habitum insuper Concilium Sardicense anno 347. in cujus Canone 3. 4. 7. juxta Dionysii Exigui coordinationem jus appellationum in Episcoporum causis Romano Pontifici, qui supra omnes Primatum tenet, declaratum. Nullum in hoc Concilio ex Siculis Episcoporum consedisse asserit Pirrus (2), ex hoc, quòd in literis Synodalibus ejus Concilii, quas refert S. Athanasius in sua secunda Apologia, ubi Patres interventores numerantur, eorumq; Provinciæ, undè venerint, è Sicilia nemo adfuisse legitur; & Scriptores Messanenses sugillat, tamquam patriæ gloriæ ultra mensuram cupidos, qui Alexandrum Messanæ in Achaja Episcopum, pro Messanæ in Sicilia Præsule usurparint.

16 Cum eo certè conjecturis agi opus esset, & Italiæ vocabulo Siciliam concludi sustinendum, si Episcoporum Sardicæ confidentium unum ex S. Synodi literis monumentum superesset, cujus tenor talis, *Sancta Synodus Dei gratia Sardicæ congregata ex Vrbe Roma, Hispaniis, Galliis, Italia, Campania, Calabria, Africa, Sardinia, Pannonia, Mysia, Dacia, Dardania, altera Dacia, Macedonia, Thessalia, Achaja, Epiro, Thracia, Rhodope, Asia, Caria, Bithynia, Hellesponto, Phrygia, Pamphilia, Lydia, Insulis Cycladibus, Ægypto, Thebaide, Libya, Galatia, Palæstina, & Arabia universis Coepiscopis, & Comministris Sanctæ, & Apostolicæ Ecclesiæ dilectissimis Fratribus in Domino salutem*; Sed cum eadem ipsa Apologia secunda Athanasii contra Arium apud Baronium (3) expressè Siciliam recenseat, Pirri oculum subterfugisse miror; *Provinciæ autem Catholici Orbis*, ait Baronius, *Episcoporum, qui Sardicensi Concilio subscripserunt, ab eodem Athanasio numerantur iisdem verbis*: *Tertiò iterum in magno Sardico Concilio ad Edictum Religiosissimorũ Principum Constantii, & Constantis; in quo judicio ita ceciderunt adversarii, ut habiti pro calumniatoribus depositionem, exauctorationemque ordinis sui retulerint; nostram verò innocentiam plures, quàm trecenti Episcopi suis calculis comprobarint, qui ex multis Provinciis Ægypti, Libyæ, Pentapoleos, Palæstinæ, Arabiæ, Isauriæ, Cypri, Pamphiliæ, Lyciæ, Galatiæ, Daciæ, Mysiæ, Thraciæ, Dardaniæ, Macedoniæ, Epiri, Thessaliæ, Achajæ, Cretæ, Dalmatiæ, Scythiæ, Pannoniarum, Norici, Italiæ, Piceni, Thusciæ, Campaniæ, Calabriæ, Apuliæ, Brutiorum, Siciliæ, Africæ universæ, Hispaniarum, Galliarum, Britanniarum, eò se ad Concilium contulerunt.*

17 Ne autem typorum sphalma dicatur irrepsisse, id ipsum legemus in ejusdem Epistola ad solitariam Vitam agentes; *Deinde cum viderent tantum eum Athanasio animorum consensum, & pacem agitari; erant enim plures in hoc numero, quàm quadringenti; tum è magna Roma, atque universa Italia, Calabria, Apulia, Campania, Brutio, Sicilia, Sardinia, Corsica; tum ex universa Africa, Galliis, Britannia, Hispaniis &c.* Hoc idem evincit Morabitus (4) ex Patrum literis ad Julium Pontificem datis, per quas Sardi, Itali, & Siculi Episcopi ad Confratres in eorum respectivè Provinciis scribi, & Decre-

(1) *Annal. Mess. ad ann.* 337. (2) *Not.* 2. *Eccl. Mess.* (3) *ad an.* 347. *n.* 6.
(4) *Annal. Mess. ad an.* 347.

cæterorum promulgationem indici postulabant; *Tua autem excellens prudentia disponere debet, ut per tua scripta, qui in Sicilia, qui in Sardinia, & in Italia sunt, Fratres nostri, quæ acta sunt, & quæ definita cognoscant, & ne ignorantes eorum accipiant literas communicatorias, quos extra Episcopatum justa sententia declaravit*. An autem inter eos Alexander Messanensis fuerit, §. 4. disquiremus: Certum autem, innominatum quendam Episcopum Syracusarum interfuisse habemus ex Hilario apud Baronium (1). *Namque liber sententiarum extat in ipsum ab Episcopis conscriptus, in quo libro etiam isti, qui cum ipso sunt Marcello, atque illi favent, idest Protogenes Sardicæ Civitatis Episcopus, & Syracusanus in ipsa sententia manu propria conscripserunt.*

18 Nimis ergo morosè Pirrus à Sacro Sardicensium Patrum consessu Siculos Episcopos prohibuit, quòd eorum subscriptiones non extent, adeo claris refraganribus testimoniis. Nil autem mirum, Siculorum subscriptiones ad nos non pervenisse, cum paucæ admodum supersint ex 300. qui ex Occidente convenere, juxta Sozomenum (2), & Socratem (3), inter quos nefas Siculos non accensere, cum ex Italia 78., & ex Canalio Italiæ 14. S. Athanasius in adducta Apologia enumeret. *Certè*, inquit laudatissimus Alexander (4), *infirmissimum esse vulgo, quod ex Conciliorum subscriptionibus desumitur, argumentum Eruditorum nemo nescit, & pluribus exemplis probare facile esset*: & clarè ostendit ex subscriptionibus Concilii Arelatensis, quæ potuerunt fortè malis Donatistarum artibus intercidere, vel expungi, cum nec duorum Chresti Syracusani Episcopi Collegarum, quos Constantini mandato secum duxit, nomina legantur.

19 Anno Christi 354. Julio vita functo, ordinatus Liberius Romanus, quo post biennium in exilium amandato Constantii Ariani Imperatoris jussu, subrogatus Felix etiam Romanus anno 355. Autem Liberio superstite verus Pontifex dici potuerit, discreprant Eruditi: a Pontificum albo constanter expungit Natalis Alexander (5). Liberio sedente anno 361. magnus ille Anachoreta Hilarion mundanam gloriam fugiens in Siciliam venit, & ad mediterranea Insulæ loca se recepit, ne ab adventantibus ex Oriente mercimonii causa negotiatoribus agnosceretur. Verùm prodigiosa Energumeni curatione apud Siculos famâ ejus increbescēre, ut air Hieronymus (6): *Hæc initium signorum ejus in Sicilia innumerabilium ad eum deinceps ægrotantium, sed & religiosorum hominum adduxit multitudinem*; unde iterum humilitate jubente facessere jussus, in Dalmariam secessit. Ad hæc eadem tempora Morabitus (7) revocat S. Basilii Magni Alumnos in Siciliam transmissos, indeque per Italiam disseminatos. Primam autem sedem Messanæ fixisse, evincit ex Antonio Cotonio (8); *Hujus Ordinis Congregatio Sicula, & Itala Messanæ originem, vel potiùs successionem habuit antiquissimam, ut constat ex literis Alexandri III.* & idem asserit innuisse Pirrum (9).

20 Anno 363. congregata Antiochiæ Acacianorum Synodus, qui poli-

(1) *loc.cit.n.73.* (2) *lib.3.c.11.* (3) *lib.2.c.16.* (4) *Sec. 4. diss. 4.* (5) *Sec. 4. diss.32.art.3.* (6) *in Vit.* [7] *Annal.Mess.ad an.363.* (8) *tom.1.lib. 4. de Relig. contr.2.c.2.* (9) *l.4.Sic.Sac.not.1.Archim.Mess.in anti.*

politico astu, adhuc Meletium, Nicænæ Confessionis causa pridem extorrem, convocarunt, quòd nimiùm in aula Cæsaris existimatione, ac nominis fama obtineret; quamvis autem magna ex parte Ariani, qui convenerant, Episcopi fuerint, nihilominus Catholicum Confessionis libellum scripserunt, & Imperatori obtulere, ut ex Socrate (1), & Sozomeno (2), refert Natalis citatus (3): in ea Evagrius incertæ Sedis in Sicilia Episcopus interfuit, quem Cajetanus (4) Evarinum appellat. Hic in Ariana Cōstantii persecutione exul, sub Joviano redux, antequam in Siciliam proficisceretur, Antiochiā ad gratias fortè Imperatori reddendas, venit; hinc fortuitò saltem Concilio adstitit.

21 Anno 365. Liberio adhuc sedente, Provinciale Concilium in Sicilia congregatum, cujus origo hæc. Lampsacena Synodo peracta, Eustachius, Theophilus, & Sylvanus Legati Romam venère ad Liberium, à quo ut reciperentur, Nicænæ Fidei conformem libellum obtulerunt, & inde communicatorias ad Orthodoxos Orientis Episcopos literas adepti: *His acceptis literis*, scribit Socrates [5], *Legati in Siciliam proficiscuntur: Ubi Concilio Episcoporum Siculorum convocato, coram illis similiter fidem consubstantialitatis se servare confitentur, fideiq; formulam in Concilio Nicæno confirmatam, ratam faciunt. A quibus cum literas in eandem cum Liberii Epistolæ sententiam præscriptam ad Episcopos, qui eos miserunt acceperissent, recta reverterant.* Quod iisdem ferè verbis expressit Sozomenus (6), qui deinde (7) subdit, literas Siciliensiū Episcoporum in Concilio Thianensi celebrato anno 369. publicè lectas, & ad cæteras Ecclesias transmissas affirmat Natalis Alexander (8); *Ad omnes Ecclesias scripserunt Thianensis Concilii Patres, ut literis Liberii, & aliorum Episcoporum Italiæ, Africæ, Galliæ, & Siciliæ, quas Legati, ex Lampsacena Synodo ad eos missi attulerant, diligenter perlectis, doctrinæ se illis, & communionis socios adjungerent.* In qua autem Civitate Siculum hoc Concilium coactum, & an fortè ab Evagrio, qui ab Oriente reversus Ecclesiæ suæ creditur præfuisse, incertum.

22 Hinc colligitur apertè, deceptum P. Cajetanum (9), qui Concilium hoc anno undecimo à celebrata Synodo pro Nicæna Fide cōstituit (nisi fortè typographorum incuria XI. pro XL. irrepsit) cum Lampsacena Synodus anno 365. celebrata fuerit, Sicula ad annum 354. revocanda esset, decimum nonum à Nicæna, quod extra verisimile est, etiam apud ipsum Cajetanum, qui eodem loco scribit: *Eximii autem Viri illi, ut, idest, mox ac, è Nicæa in Siciliam revertere, condemnationem Ariani furoris Provinciali Conventu constabilivere.* Infra annos igitur quadraginta, duæ in Sicilia Synodi congregatæ.

23 Anno Christi 366. Liberio è vivis sublato, sedit Damasus Hispanus, quo Pontificatum ineunte, secundū Schisma Rom. Ecclesia passa ab Ursicino contra Damasum inaugurato, & adeò factiosorum furor exarsit, ut una die in Basilica Siniciana 137. occisorum Civium cadavera reperta scripserit Ammia-

nus

(1) *lib.* 1. *cap.* 21. (2) *lib.* 6. *c.* 4. (3) *Sæc.* 4. *c.* 5. §. 30. (4) *Isag. c.* 36. (5) *l.* 4. *cap.* 11. [6] *lib.* 6. *cap.* 11. (7) *cap.* 12. (8) *Sæc.* 4. *cap.* 5. §. 33. (9) *Isag. cap.* 36.

nus Marcellinus (1), nec totâ Damasi vitâ, quæ ad annum usque 384. protracta, extinctum incendium, quin in Syricii successoris electione suscitatum fuerit; adhuc piissimorum Imperatorum contranitentibus Decretis. Compensata nihilominus Ecclesiæ gloria magnis illis duobus luminibus Hieronymo, & Ambrosio, qui sub Damaso effulsere, ille quidem Dalmata, hic autem incertæ Regionis, nec boni juris odore in eo sibi vindicando Sicilia caret, ut diccmus S. 3.

24 Sub Damaso frequentia Concilia congregata, Romæ, Mediolani, Aquilejæ, quibus interfuisse S. Bassianum Laudensem Episcopum, strenuum Divi Ambrosii commilitonem, Siculum aurem natione, refert Cajetanus (2). Celeberrima tamen Constantinopolitana Prima contra Macedonium ex solis Orientalibus coacta; cum enim à Cæsare, non à Damaso convocata fuerit, Occidentales Episcopi non convenere: hinc eam ex postfacto OEcumenicam, nempe ex Romani Pontificis approbatione, scribit Pagius (3).

25 Anno 384. Damaso obeunte, suffectus Syricius Romanus, cujus Sanctitatem adeo suspectam habuit Baronius, ut in suo Martyrologio non collocarit. Paulò namque iniquior visus in Paulinum Nolanum, & Hieronymum; qui ob id Roma profectus per Siculum fretum transvectus Scyllæ, & Charybdis vortices curiosè perlustravit; hinc de se ipso scribit (4): *Vis nosse profectionis meæ de Urbe ordinem? narrabo breviter. Mense Augusto flantibus Etesiis, cum S. Vincentio Presbytero, & adolescente fratre, & aliis Monachis, qui nunc Hierosolymis commorantur, Navim in Romano portu securus ascendi, maximo me Sanctorum frequentia prosequente. Veni Rhegium: in Scyllæo littore paululum steti, ubi veteres didici fabulas, & præcipitem fallacis Ulyssis cursum, & Sirenarum cântica, & instabilem Charybdis voraginem. Cumque mihi accolæ illius loci multa narrarent &c.* Demum anno 398. Sæculo huic Syricius valedixit, & inauguratus Anastasius Romanus, qui sequens vix salutavit.

(1) *lib.* 27. [2] *Isag. c.* 36. [3] *in Damas.* (4) *Apolog. adv. Ruff.*

## §. II.

## ECCLESIÆ SICULÆ PERSECUTIONES.

1 UNicam sub Ethnicis Imperatoribus Persecutionem Ecclesia hoc Sæculo passa est, quæ decima, & ultima: sola tamen cæteras omnes atrocitate superavit; etenim, ut ait Baronius (1): *Cum universum Romanum Imperium refertum esset cultoribus Christi, & tota vis Imperatorum in hoc posita, ut Christianorum Religionem radicitus extirparent; non Provincia, non Civitas, Oppidum, Vicus, Rus, Prædium, Casa, vel Hortus, aut Angulus extitit, in quibus de Christianis, cujuscumque essent ordinis, vel dignitatis, sexus, & æta-*

(1) *ad ann.* 303.

*ætatis, non fuerit habita diligens inquisitio, & crudelis animadversio.* Excitata est anno 303. à Diocletiano, & Maximiano Herculeo, quibus etiamnum Imperio abdicantibus protracta est ad annum 312. pacis Christo redditæ per Constantinum Magnum; furorem suum eousque exercentibus utroque Galerio, item tyranno, Maxentio, & Licinio; & nonnisi omnibus funditus excussis facta tranquillitas. Alias ab Acatolicis pertulit, Constantio nempe, & Valente Arianis, ac Apostata Juliano: sub iis tamen non multi supremo supplicio afflicti, plurimi carcere, vel exilio passim mulctati.

2 Sub Ethnica igitur persecutione Sicilia Martyres suos Cœlo peperit: *Sicilia quoque*, inquit Baronius [1], *Insula, hac eadem persecutione vigente, insigniter nobilitata est sanguine Martyrum. Inter quos Syracusis Luciæ Virginis præ cæteris Martyrium effulsisse claritate videtur.* Ipsi quidem ab Agatha, cujus Catanense sepulcrum inviserat, revelata per somnium passio, quam post biennium pertulit, & gloria, qua Patriam esset cumulatura. Gladio guttur transfixam occubuisse, Latini Scriptores consentiunt, & post vulnus tamdiù superstitem, ut ab Eutychio Episcopo Syracusano Eucharistiam susceperit, & futura Ecclesiæ pace prænunciata, qua Diocletiano, & Maximiano sublatis potiretur, spiritum reddidit Creatori suo. Græci verò capite abscisso Martyrium consummasse tradunt; quibus non adhærendum, cum nec capite minuta S. Sinaxym suscipere, aut loqui potuerit, ut constans traditio est; nec à busto caput avulsum quisquam, qui de Reliquiarum quòcumque translatione scripsit, unquam meminerit. Sanguinem è vulnere effluentem Fideles devotè excepisse ex monumentis constat; cum Panhormi, Cajetæ, & Veronæ, sive linteis exceptus, sive phialis asservatus referatur ab Animadversore in passionem ex antiquo M. S. apud P. Cajetanum (2).

3 In loco Martyrii temporarium Templum à Christianis excitatum, ubi diù tumulatum corpus; quousque in Saracenica invasione absconditum, & post annos 160. Maniaces, Sene quodam Syracusio, qui majorum traditione noverat, locum indicante, effossum Constantinopolim detulit; unde post annos 164. Venetias translatum, ubi usque nunc coli perpetua Siculæ Ecclesiæ traditio est. Nihilominus Sigebertus in Actis Martyrii, & Translationis, quæ exscripsit Animadversor citatus, testatur Faroaldum Ducem Spoletanum, captis Syracusis sub Luitprando Rege Longobardorum, Sæculo octavo decurrente, S. Luciæ Corpus Corfinium in Italia apud Pelignos asportasse, unde Theodoricus Senior Episcopus Metensis in Gallobelgio, Sæculo decimo inclinante, ad suam Ecclesiam transtulit, & avulsum brachium Theodoricus junior Henrico Imperatori dono dedit anno 1042. à quo in Monasterio Landiburgensi Spirensis Diœcesis repositum: additur, & caput Romam delatum, & inde ad Ecclesiam Cathedralem Brugensem sub Rege Ludovico XII. ut legere est apud Tillemontium (3). Sed hæc Eruditis meritò suspecta, cùm eo ævo Sicilia sub Orientis Imperatoribus quiesceret, & Longobardi Italiæ finibus contenti in Siciliam irrupisse à nemine memorentur; nec

P ab

(1) *l.1.n.146.* (2) *n.9.* (3) *tom.5.de Persec. Diocletian.art.56.*

ab ipso Paulo Diacono, qui in eorum gestis recolendis diligentissimus. Non id propter ergo recedendum à Sicula Traditione, cui & S. Pius V. inhæsisse videtur, cum Metenses in Breviarii reformatione adnitentes, ut Metis Corpus Luciæ quiescere adnotaretur, constanter rejecerit. Alterius fortè Luciæ Reliquiæ ibidem asservatæ, nominis ambiguitate errori locum fecere, prout mos hominum celebriora quæque sibi vindicare.

4 Luciæ festus dies universæ Ecclesiæ 13. Decembris; quæ in Missæ Canone cum Agatha redacta est. Siculam Luciam esse consentiunt Viri Eruditi; an autem eidem, vel alteri, quam cum Geminiano passam alibi diximus, excitata Romæ Templa nuncupanda sint, difficile dictu. De his omnibus omnino legendus Tillemontius citatus.

5 Celeber etiam hujus ævi Martyr in Sicilia recolitur Euplius, seu apud Græcos, & antiqua Martyrologia Euplus, Catanensis Ecclesiæ Diaconus, sive ut legitur. in Menologiis, Archidiaconus; ideoque mendum irrepsisse censendum est in M. S. quodam Codice Vaticano, ubi habetur Euplius Episcopus. Catanensem fuisse omnibus in confesso est, & expresse habetur in hymno Græco apud Cajetanũ (1). *Patriam tuam protege, defende, custodi... Multùm in te gloriatur Catanensium Metropolis, quippe quæ inclytum te, Euplie, Civem habuit*. Hic sub Calvisiano Præfecto deprehensus cum Evangeliorum libro populum fidem docens, contra Imperatorum edicta, quibus cautum Sacros Libros tradi comburendos, ad Idola sistitur, & adolere refugiens torquetur, fustibus cæditur, demum Evangeliorum Codice ad collum appenso circumductus, capite truncatus est. Florenti adhuc ætate passus perhibetur ex hymno Græco citato: *Juvenilibus annis perfectum senilem animum præsetulit Martyr*.

6 Corpus usque ad Saracenicam irruptionem publicè coluere Catanenses, ut testatur M. S. Ecclesiæ Mazariensis in Animadversionibus ad Vitam apud P. Cajetanum, præcipuè fugandis Dæmonibus, & languoribus curandis gloriosum: hinc S. Joseph Hymnographus: *ægritudines varias curandi, & malignos spiritus expellendi vim habent tuæ Reliquiæ*: quid de iis inde actum, ignoramus. Certè Trivici in Hirpinis partem reliquiarum quamcumque coli, Tutelaris invectio, & Festi celebritas indicio est. Catanæ in foro superstitem columellam æris Corinthii extare testatur Animadversor in Vitam (2), cui insedisse circumferrur Martis simulacrum, ad quod adorandum Martyr est ductus. Dies passionis apud Græcos XI. Augusti, apud Latinos XII. consignatus; dies autem, quo à Calvisiano comprehensus XXIX. Aprilis apud Tillemontium (3), qui celebrem Martyris cultum ex triplici Actorum editione deducit, tum Græca, tum Latina. Et hæc quidem optima, & satis diversa ab iis, quæ Metaphrastes corrupit, & ad libitum adornavit, docet Bailletus [4]: & Bollandus (5) ea, quæ apud Lipomanum, & Surium ex Metaphraste referuntur, laciniosa vocat, & ineptè coagmentata, fictisque tormentorum generibus, & prodigiis referta. In Martyrologio Hieronymiano cum Euplio passæ con

(1) *tom.1 in Vit.S.Eupl.* (2) *n.9.* (3) *tom.5.de Persec.Diocl.art.33., & in S. Eupl.* (4) *Tab.Crit.12.Aug.*[5] *tom.2.Febr.*

consignantur S. Nericia, & S. Veneria, fortasse adhuc Siculæ; quia tamen de ipsis mentio nulla in Actis Euplii subest, eodem die, sed non eodem anno passas existimat Tillemontius laudatus (1).

7 Panhormitani Mamilianum cum Nympha Virgine, & Eustochio, Proculo, ac Golbodeo sociis sub hac persecutione constituunt. Mamilianus ipsis Episcopus, qui cum Golbodeo discipulo, & Nympha Aureliani Præfecti filia, quam baptizaverat, post superatos divina virtute cruciatus Angelo educente fugiens, in specu prope Portum Romanum Eustochium, & Proculum conterraneos latitantes invenit, ibique omnes simul in veræ Fidei confessione dormiere miraculis clari. Corpora Romæ in Ecclesia Sanctæ Mariæ in Monte Cœlio asservata traduntur. Sed cùm eadem Suanæ in Thuscia jacere deprehensum fuisset, magnum negotium Siculis Scriptoribus enatum, quo Acta corrigerent; quod tamen infeliciter cessit; donec tandem Joseph Vincentius Marascia (2) patrio amore excitatus, duas Sanctorum hujusmodi cohortes, Mamiliano Episcopo duce, adstruendas censuit: aliam Martyrum jam recensitam, qui anno 310. aut fortassis 324. passi, quorum Corpora Romæ condita; aliam Confessorum Mamiliani, Eustothii, Convuldii, Infantis, & Sentli, qui quinto Sæculo à Vandalis irrumpentibus sub Genserico Rege, Panhormo in Africam asportati; unde ad Montem Jovis in mari Thusco venerunt, ubi in Christo dormierint, & horum Corpora Suanam delata. Duas item Nymphas, aliam Nicænam, quam Triphoni, & Respicio Martyribus Martyrologia annumerant; aliam supra relatam, & Siculam, quæ sub Mamiliano Magistro vixit.

8 Sed certè tantam Siciliæ gloriam ex multiplicatis Sanctorum agminibus consurgentem, solidioribus fundati momentis suspirandum. Mamilianum quippe illum, & socios Martyres, qui ultima Ecclesiæ persecutione absumpti, ex his præcisè, quæ circumferuntur, non facilè admittant Eruditi: Vaticanos Codices, unde eruta apud Marasciam, & Cajetanum Acta, adeò anachronismis, figmentis, malèque assutis laciniis compactos comperio, ut sine delectu inibi repositos crediderim. Alter quidem narrat sub Constantini dominatu Arianam, & Sabellianam hæresim damnatam, quo nil magis veritati absonum; cum ex Ecclesiastica Historia constet, Sabellium à tempore Dionysii Papæ aula excessisse; imò ejus memoriam Arii error, qui totum penè Orbem infecerat, ex diametro oppositus, funditus excussit; nisi quòd Catholicis Sabellianismū Ariani inurerent. Item pacata Ecclesia revocatos Romam Milites, & Carnifices; quasi idem fuerit reddi Sæculari Imperio pacem, & Christo; & sola Urbs tortores, & lictores nutriret, qui Fidelibus excruciandis in Provincias migrassent. Insuper quosdam ex Mamiliani discipulis ad Præfecti palatium properantes, ut aliquid de persecutione subodorarent (certè exteriori specie occultata) à Nympha per fenestram respiciente, adhuc porrò Ethnica, cognitos quòd Christiani essent. Hinc Virginem speciosissimam, & ob id à Patre Præfecto zelo nimio servatam, nedum è cubiculo, sed & è palatio solam egressam ob-

P 2

(1) *In notis ad S. Euplium.* (2) *de duobus Mamilian.*

obviasse, & clam in triclinium suum inductos ad noctem occultasse, & tunc loris eorum pedibus, & vocato Mamiliano fide imbutam, & baptizatam cum aliis tercentum, Aurelianum Patrem Nympham per armigerum suum vocasse; *vade pacificè usque ad filiam meam, quia amore langueo*; cumque Christianam effectam comperisset, in eodem carcere simul cum Mamiliano conjecisse, viginti dierum inedia macerandos; dein utrumque in eundem ferventis olei lebetem, depositis certè vestibus, immisisse. Apage fabulas virginali pudore, paterna custodia indignas; & aniles nugas nullum veritatis odorem referentes, nec quidem verosimilitudinis fuco coloratas.

9 In altero Codice, qui nihilo melior, Virgo Nympha ob pulchritudinem in arcta custodia a Patre cum duabus ancillis clausa describitur, quæ discipulos Mamiliani in via per cancellos triclinii conspiciens, ancillam sciscitata, quinam essent, ab eadem de Christiana fide edocta est, & lotione pedum facta per Christum, ad cujus exemplum illis ad se vocatis pedes lavit. Dein introducitur Mamilianus nocte ancillis Christum annuncians, & ab iisdem subinde interrogatus, an liceret uti purpurisso ad faciem colorandam, & augendam formositatem; & latum dein usque ad diluculum sermonem faciens de avaritia, & usura. Quibus nil ad primam Evangelii sationem ineptius; in utroque autem deprehendere est narrationes prolixas, dialogismos perpetuos, & desultorios, conciones extra rem, frequentissimas Scripturarum citationes, affectationem Sacræ Scientiæ, sermonem vagum, & incohærentem; notas denique omnes, quæ Criticos expungenda Martyrum Acta suadere consueverunt.

10 Deterius, quod primus ipse Marascia intrudit Mamiliani hujus Martyris certamen ad annum 324. reponendum; cum plena jam Ecclesiæ pax, celebrata Romæ, & Arelate Concilia, & indictum magnum Nicænum: imò in Sicilia ab anno 314. Episcopi Imperatoris mandato rhedis publicis, & Fisci ære ad Synodos veherentur. Suffragium petit à P. Causino [1] asserente, quod pii Constantini Edictis neutiquam suffragantibus, adhuc Romanus Senatus odia contra Christianos non deposuerit; hoc enim ad annum decimumoctavum imperantis Constantini protrahere fidem omnem superat, & vix sub initiis alto pectore repositum admittere est; Senatus quippe ille ad Principis nutum in partem quamcumque semper versatilis, & tunc temporis adeo ad Imperatoris obsequium in Christianos propensus populus, ut Maxentius ipse non aliunde commodius captandum favorem populi sibi polliceretur, nisi extincta Persecutione, & tanta erga fideles attentata benevolentia, ut propediem se in Christum crediturum subloqueretur; quæ quidem testatur Eusebius (2) præstitisse, ut Romano populo blandiretur, & ergà Christianos affecto morem gereret; ut legere est apud Tillemontiū (3).

11 Synceriora Acta Spoletanæ Ecclesiæ de Mamiliano, & Sociis Confessoribus censeo, qui à Genserico in Africam asportati referuntur; breviora quippe, & simpliciora, unde Eruditorum criterio genuina, aliqua nihilominus expungen-

(1) *p.2.aul.Sanct.diei* 9.[2] *l.8.c.14.* (3) *tom. 1.de Persec.Diocl.art.32.*

genda, quæ idiotismum, aut popularem credulitatem sapiunt, ut quòd Mons Jovis, inde dictus Mons Christi fuerit, quia ibi Mamilianus cum Sociis laudes Christo decantarit; vel quæ recentiora tempora olent, ut quòd Civitas Centumcellarum Urbis Veteris, prout ad hæc tempora, nomine indigitetur; hoc sanè modernioris ætatis est; cum adhuc anno 355. Epictetus quidam recenseatur à Constantio Imperatore Centumcellarum Episcopus constitutus, quam Urbem Veterem esse Tillemontius (1) se arbitrari testatur; non ea propter Mamilianum, & Socios Martyres ablego; sed certiora Acta expetenda; quæcumque tamen Panhormitana traditio amplectitur, toleranda.

12 Quod ad Nympham attinet, aliam à Nicæna Martyrem, quæ cum Triphone, & Respicio accensetur, non facilè comperio. Acta quidem diversa, sed non æquè Criticis legitima; mendis quippe scatent ea, quæ de discipula Mamiliani hoc Sæculo passa circumferuntur, nec Cajetano ipsi antiquitatem sapiunt sive ex stylo, sive ex gestis, quæ sæpe inverosimilia, sive ex locorum nominibus, quæ ævo illo moderniora, ut observat laudatus Tillemontius (2), caput sanè Nymphæ cujusdam ab Hebræo ad fidem converso Romam è Syria delatum, & in Monte Cœlio conditum refert Castaldus Metallinus Sæculi noni Scriptor in familia de Leiis regionis Arcolæ, cui præerat; unde verosimilius in eam regionē Nympham aliquam Panhormo cum Mamiliano extorrem pervenisse, ibiq; conditam. Nec citati Marasciæ suspicio, quòd Panhormitanæ Nymphæ, quam cum Mamiliano Romæ quarto Sæculo occubuisse docet, Reliquiæ in aliqua fortè Saracenica irruptione asportatæ fuerint, aliquid est præter hariolationem; cum devastationis hujusmodi monumentum apud Historicos nullum extet, nec ante Sæculum decimum sub Sergio Pontifice memoretur.

13 Momenta, quæ Marasciam ad geminandum Mamilianum impulere, aut P. Caietanum ad replicandam Nympham hoc Sæculo Martyrem, infirmiora sanè sunt, quàm ut molem hujuscemodi firmare queant, & in pari causa à Tillemontio (3) expuncta. Actorum pluralitas non nimis urget, nisi æquè legitima comperiantur; nec diei Festi diversitas; cum frequens sit, alicubi depositionis diem, alicubi passionis, alibi translati Corporis celebrari. Minùs relevat locorum, in quibus Reliquiæ asservatæ traduntur, varietas; potest sanè in hoc pars una Corporis, alia in alio condi, & popularis rumoris suffragio Corpus integrum decantari. Profectò nec Paulus duplicandus, cujus caput Romæ coli, & ad Isabellam S. Ludovici Regis sororem in Gallias delatum scribitur; nec Annæ, cujus Corpus Constantinopoli alii reponunt, alii in Ecclesia prope Lugdunum, alii in Apta Julia Galliæ Phocensis Urbe; caput verò Castriboni in Sicilia, & Marcoduri in ditione Juliacensi colitur. Numerosiores insuper Magdalenæ, quam Ephesi quiescere docet Gregorius Turonensis, Constantinopoli Menologia, & Cedrenus, Viceliaci in Gallia Sigebertus, Aquis Sextiis in Provincia commu-

nis

(1) *tom. 6. de Arianis art.* 57. (2) *tom. 3. de Persec. Decii art.* 56. (3) *tom. 3. de Persec. Decii art.* 16.

nis traditio; & quod gravius, Pontificiis diplomatibus rem hinc inde firmantibus.

14 Fruatur igitur recensita Martyrum suorum cohorte sub Mamiliano Duce Panhormus, & trigintaquatuor aliis, quos eadem persecutione Aurelianum capite minuisse educit P. Cajetanus (1) ex Actis S. Nymphæ; imò & aliis centum sexaginta sex, quos Invegius (2) cumulavit ad centurias duas complendas; sed vota simul sua multiplicet; & quæ pro Martyrum loculis tandem aliquando eruendis Gentici Scriptores effundunt; & quæ pro majori Historiæ lumine obtinendo sufficiant, unde caligines hæ dispellantur, & extra suspicionis aleam tot Sanctos constituat.

15 Syracusis Fantii, & Deodatæ conjugum certamen eruit P. Cajetanus (3) ex Actis S. Fantini filii. Hi nobiles Syracusii, religione Ethnici. Cum autem Fantinus in venatu Cervam sectaretur, antrum subiit, ubi ab Eremita persecutionis metu latitante Christum edoctus, & cum Leòtio famulo baptizatus; inde domum reversus parentes in Christianas partes traxit. Comprehensi demum, & Fantino evadente, Angeli ductu, Fantius, & Deodata plumbatis, & in Fidei confessione perseverantes obtruncati sunt. Dies eorum festus 31. Julii. De iis meminere Petrus Equilinus, & Maurolycus apud Cajetanum citatum, & Pirrum [4], ac Morabitus [5].

Item Syracusis passi Caliste, Evodius, & Hermogenes germani fratres, quorum memoria in Joanne Monacho, & Philippo Tauromenitano, teste Theophane, apud citatum Cajetanum, & in Tabulis Syracusanis, ac Martyrologiis Romano, Notkeri &c. apud citatum Pirrum[6]. Diu putatum viros omnes esse, quippe fratres; ex S. Joseph autem Hymnographo, & Græcis carminibus relatis à P. Cajetano Caliste Fœmina, & Soror deprehenditur; ut benè notat Animadversor n. 4. Festus dies à 25. Aprilis in secundum Septembris commutatus.

16 Agrigenti Gregorius Episcopus Lilybætanus comprehensus à Tyrcano Præfecto in carcerem detrusus est, & ibi gladio percussus; in eumdemque carcerem festo Sæculo injectus est Gregorius Episcopus Agrigentinus, ex cujus Actis apud Leontium Abbatem, & Metaphrasten hæc deprompta. Nomen Tyrcani, & Tyranni appellatio fucum quibusdam fecit, ut Vandalica potius tempora suspicarentur; non ob hoc tamen à Diocletianæa persecutione ablegandus Gregorius; cum adhuc sub id temporis legatur Spoleti Tyrcanus Tyrannus Gregorii Presbyteri Martyrium confecisse. Dies festus 5. Januarii assignatus.

17 Alios septuaginta novem in Sicilia cruciatos ex vetusto Kalendario Gallicano, & antiquis Martyrologiis eduxit clarissimus Cajetanus (7), quos Claudio, Sabino, & Maximiano, tamquam agminis ducibus copulat. Illi adstipulantur Maurolycus, & passim Scriptores Siculi. Dies passionis 21. Februarii; annum verò 303. Cajetanus consignat; Morabitus autem tertio Sæculo expirante passos tradit (8).

18 In Romano Martyrologio San-

(1) *tom.* 1. *SS. Sicul.* [2] *Panhor. Sac. ad ann.* 310. [3] *tom.* 1. *SS. Sicul.* (4) *Not.* 2. *Eccl. Syrac. ad an.* 303. [5] *Annal. Eccl. Mess. ad an.* 301. [6] *ad an.* 309. (7) *tom.* 1. *SS. Sicul.* [8] *ad an.* 299.

Sanctum quendam Mercurium cum Sociis pluribus Leontinis Martyrii palmam adeptum reperit Tillemontius (1), & sub Licinio, inde tamen sibi sphalmatis suspicio exorta; cum numquam Licinio Sicilia obtigisse legatur, & eam auget Siculæ Ecclesiæ silentium.

19 His accensendi, qui eodem Sæculo sub Juliano passi; inter quos Morabitus (2) Victorem in Sardinia Martyrem consignat, qui communi traditione à PP. SS. Trinitatis Messanensibus derivata certè Siculus. Messanensem autem fuisse contendit Samperius (3), & inscriptionem pervetusto Sepulcro impositam id disertè restari. Alios sub eodem Cæsare, cùm Syracusis immoraretur, pro Christi nomine neci addictos subdubitare se fatetur P. Cajetanus (4).

20 Inter trucidatos à Barbaris, Gratiano Imperante, annis sequentibus annumeratur Gerasina, non quidem Virgo, ut aliqui minùs aptè, sed Mater SS. Babillæ, Victoriæ, Julianæ, Aureæ, & Adriani pueri, cum quibus, & Daria sorore, ac S. Ursulæ genitrice, in comitatu Virginei illius agminis Martyrium pertulit. Eas omnes Siculas tradunt Petrus de Natalibus, Jacobus de Voragine, & Bonfinius apud Morabitum (5), & P. Cajetanù (6); cujus Animadversor suspicatur Gerasinam in Justinæ Augustæ, quam Siculam supra statuimus, famulatu facilè homini Britanno nupsisse, à quo Beatam illam prolem susceperit. Apud Chrysostomum Enriquez (7), & alios Siciliæ Regina nuncupatur, & Virginei agminis ductrix; sed falsò, cùm ea ætate Siciliam Romani Imperii Provinciam fuisse nemo ambigat. Id fortè inde enatum, quòd nobilissimo sanguine prognata esset, ut pluribus fundat laudatus Morabitus, & morem illum testatur Author Actorum S. Nymphæ, quam Reginam vocat. Corpus Gerasinæ Treviris in Gallobelgio in Cœnobio S. Matthiæ quiescere testatur Ferrarius [8], caput verò Colonia Assisium à S. Bonaventura translatum tradit P. Cajetanus, & ibi in Conventu Fratrum Minorum asservari; Morabitus autem Messanæ coli. Certum quidem in Templo Messanensi S. Francisci de Assisio Fratrum Minorum, ex ruderibus antiquæ Ecclesiæ S. Ursulæ nomini consecratæ exeitato, Sanctarum earumdem reliquias asservari, quas à Monasterio Bruxellensi S. Claræ Octavianus Præconius Messanensis, Panhormitanus Archiepiscopus, cum Cæsarei Concionatoris munere fungeretur apud Carolum V. Cæsarem impetrarat, & Sacrario inscriptionem hujusceemodi appositam: *Reliquia S. Ursulæ, ejusque Matertera S. Gerasinæ Reginæ Siciliæ, S. Victoriæ, & soc. VV. & MM.*, ut habetur ex Reina (9). Passus cum Gerasina, & cæteris traditur Mauritius Frater, & Episcopus Levicanus apud Joannem Basilium Sanctorum in Vitis Sanctorum Hispanicè editis (10) relatum à Mauro (11).

21 Non hic omittendi, qui non Siculi, sed ex aliis regionibus advenæ Siciliam sanguine suo bearunt. Demetrius Chalcedonensis Ecclesiæ Diaconus, & Gregorius, qui Archie-

(1) *tom.5. de SS. ignot. primor. Sæcul. art.4.* (2) *ad an. 362.* (3) *Iconol. l. 2. c. 17.* (4) *Isag. c. 26. n. 11.* [5] *ad an. 383.* (6) *in Vit. tom. 1.* (7) *Lilia Cisterciensia diss. 6.* (8) *Nov. Catal. SS. die 12. Feb.* [9] *Not. Hist. Mess. ann. 383.* (10) *to. 2.* (11) *Messan. Protometr. c. 25.*

chierarcha nominatur, fortè Episcopus simul cum Calogero asceticæ vitæ professore, persecutione Oriētali in fugam acti, Chalcedone Siciliam venerunt; ibique sanguinem pro Christo fudere. De Calogero, qui Confessor, latiùs §. sequenti; omnes una celebritate coli, habetur ex hymnis Sergii Monachi, quos Sæculo 9. conscripsit (1).

22 Julianus Martyr, & fortè Episcopus, eodem Sæculo sub Judice Marciano Martyrium consūmasse Egeæ in Cilicia; antiquiora tamē Martyrologia Hieronymi, Norkeri &c. consignant Eges in Sicilia. Civitatem hujus nominis nullam Tabulæ Siculæ nobis exhibent; an error librariorum in Provincia consignanda, nomine facilè ambiguo, ut tenet Bollandus (2), an verò duo sint constituendi, ut subdubitare videtur Tillemontius (3), esto Eruditis judicium.

23 Sophiam Virginem in Siciliam profugam descendisse habetur ex M. S. Codice Ecclesiæ Sortinensis; cum enim à Timotheo quodam, fortè Orientalis alicujus Civitatis Episcopo, baptizata, ob id à Patre Ethnico in carcerem detrusa esset, inde à custodibus prodigio ad Christum conversis dimittitur, ac in Siciliam navigat; ibi verò miraculo clandi Zona ejus aurea curati cognita, à Martiali Præfecto comprehensa ad Patrem remittitur, à quo capite truncata, & lac pro sanguine fudisse perhibetur. Miraculis frequentibus in ægrorum curatione celebris, colitur 5. Idus Martii, cum priùs festus dies 9. Kal. Octobris consignaretur. Id in ejus Actis Cajetano suspectum, quòd sub Diocletiano passa, ex progenie Imperatorum Constantinopolitanorum orta dicatur; cum nonnisi à Constantino Magno condita nova illa Roma, aut saltem ad Imperiale fastigium evecta.

24 Sanctum quendam Eusebium à Maxentio in exilium actum, & in Sicilia veræ Fidei confessione gloriosum obdormisse refert Tillemontius (4), cujus festus dies 26. Septembris. Corpus apud Bucherium Romæ in Cœmeterio Callisti quiescere dicit, unde illuc è Sicilia translatum suspicatur, pariter ac Pontianus è Sardinia. Quo autem tempore thesauro illo fraudata Sicilia, incompertum.

25 Denique ad hoc Sæculum, incerto tamen anno, revocanda S. Trophimes, quam Sicilia protulit, extera Regio excepit. Certè quidem Sicula; sed pro natali solo inter Pactenses, & Tyndaritanos dissidium. Persecutionem navigio fugiens, in mari comprehensa obtruncatur; id ex carminibus marmoreo, & passionis antiquitatem redolenti sepulcro excisis colligitur:

*Martyrii hic Trophimes intacta Virginis artus,*
*Et pia membra cubant, quæ dum præcepta prophani*
*Temporis, & Mundi polluta altaria vitat,*
*Sicaniæ fugiens devota puella parentes*
*Æquoris in medio naturæ forte quievit.* &c.

à quibus tumulatum Corpus, & Carmina inscripta, nemo huc usque novit. Casu certè ad maris oram prope Minervæ Promontorium reperræ reliquiæ; cum mulier intortum filum abluens, ad lapidem, qui sepulcralis, impingeret, repente ma-

(1) *P. Cajet. tom.* 1. (2) *ad diem* 16. *Martii.* (3) *tom.* 5. *Not.* 3. *in S. Julian.* (4) *tom.* 5. *de Persec. Dioclet. art.* 39.

manibus arefactis, res detecta prodigio est. In devastatione Longobardica Corpus ab Episcopo Amalphim delatum, inde Sicardus Princeps Beneventum injuria asportavit; & demum Minoram, ubi usque nunc asservatur, delatum. Fabulosum id, quod aliqui tradunt, à Patre profugam, ne nuptias obiret, expanso super undas pallio, in mari comprehensam, & trucidatam: non enim parentes filiam à nuptiis abhorrentem interficere consueverc; nec viso prodigio efferatos, nisi Ethnicos Persecutores, credere est.

## §. III.

## QUINAM SANCTITATE; ET DOCTRINA FLORUERINT IN SICILIA.

1 Celebrem inprimis sanctis moribus Sicilia hoc ævo protulit S. Fantinum Syracusanum, quē in parentum passione, Angelo protegente, elapsum diximus. Rem narrat Equilinus (1): *Fantinus verò Angelum sequens portam Urbis sibi divinitus referatam exivit; & veniens Messanam, filium cujusdam Civis cæcum illuminavit, ac ipsum cum omni familia baptizavit. Cum autem à Stradicone Capitaneo quæreretur, ut Diis immolaret, Angelico monitu navem sine remo conscendit, & per Pharum in mare exivit, navesque Paganorum se insequentes, oratione fusa immobiles fecit.* Hinc Rhegium Calabriæ prodigio devectus est, unde Taurianū concessit, quod Tabaritanum Oppidum apud Pirrum (2) legitur. Ibi agricolæ cujusdam servitio mancipatus, ejus sævitiam quandoque declinans Metaurum fluvium in duas partes divisum sicco vestigio pertransiit; adeoque signorum frequentia Thaumaturgus appellatus in carmine genethliaco, quod ex Græco translatum apud se habere scripsit P. Cajetanus in Idea. Die 24. Iulii mortem, quam sibi prædixerat, lætus aspexit, Constantino Imperante anno 336. Mendum apud Ferrarium in nova Topographia irrepsisse annotat Animadvertor in Acta apud Cajetanum, qui Fantinum dixit Episcopum; & in Marafioto, qui non Syracusis Taurianum, sed Tauriano Syracusas profugum consignavit.

2 Sanctitate æquè illustres, quotquot tunc in Sicilia sedisse Episcopos habemus; Eutychium nempe Syracusanum, è cujus manibus Synaxim in agone Luciam suscepisse diximus. Sub Diocletiani persecutione exagitatum constat. An Martyr occubuerit, nō compertum. Corpus cum aliis Luciæ, & S. Clementis Abbatis Syracusani Constantinopolim Maniaces transtulit. Festus dies apud Pirrum citatum 27. Novembris. Rhodippum item Leontinum, qui decem & septem annorum sessionem ad annum usque 312. protraxit, cujus festum die 2. Febr. Paulo V. Rom. Pont. indulgente, celebratur. Magnum insuper illum Capitonem, Morabito Messanensem, Pirro incertæ sedis Episcopum, qui Nicæno interfuit, & unus ex paucis ferè 24. quos ex 318. con-

Q

(1) *Catal. SS. l. 6. cap. 163.* (2) *Not. 2. Eccl. Syrac.*

sidentibus Athanasius, utpote celebriores, nominandos censuit; *Sanctus Athanasius*, inquit Baronius (1), *agens contra Arianos, quosdam recenset Sanctos Episcopos magni nominis, Viros Apostolicos, fidei Catholicæ defensores*: Sanctum quoque Severinum Catanensem, qui apud Pirrum (2) die 8. Junii, Agrippinæ Virginis, & Martyris templum Menis legitur consecrasse. Lucianum denique item Leontinum, qui dum illius Ecclesiæ Archidiaconum ageret, impio Episcopo Crescenti Martyrum reliquias ab Ecclesia abigere intentanti, fortiter restitit, & Sanctorum Fratrum Acta, quæ combusserat, ipse restauravit. Ejus precibus lues ab Urbe depulsa traditur. Dies ejus festus 3. Januarii. Legendi de ipso Bollandus(3), & Mongitorius in Bibliotheca. Pirrus (4) Lucianum producit ad annum 600. sed certè typorum sphalma est; habemus quippe Sancti Gregorii Magni Pont. Epistolam, libro X. indictione 5., post mensem nempe Septembris anni 601. ineunte, ad Lucidum Leontinorum Episcopum. Fieri autem nequit, ut unius anni intervallo tres in Ecclesia Leontina Episcopi sederint, Lucianus nempe, Lucidus, &, qui apud Pirrum mediat Alexander: ad calcem ergo quarti potiùs, quàm sexti Sæculi avocandus Lucianus.

3 Alii insuper enumerandi, qui è Siciliæ natali solo ad alienæ regionis Ecclesias translati, & Sanctorum fastis adscripti. S. Ursus ex P. Cajetano, & Pirro citatis, Ravennatis Ecclesiæ Episcopus, Theodosio, Arcadio, & Honorio imperantibus, consecratus, quem Syracusanæ Tabulæ Civem exhibent. Hic Patrimonium suum, quo in Sicilia fruebatur, Ravennati Ecclesiæ donavit, & superstes ex proventibus insigne Templum Ursianum inde dictum, excitavit. Hinc hallucinatus Hieronymus Rubeus (5) dominatum, & Territorium turpiter confundês cum patrimonialibus prædiis, quæ in Sicilia Ravennas Ecclesia ex Ursi donatione habuerat, Siciliam tunc temporis sub Ravennatis Ecclesiæ ditione constituit, & ab Exuperantio Archiepiscopo sub initio Sæculi 5., & Mauro sub declinante jam 7., Vicarios, & Præfectos in Siciliam missos scripsit, qui Provinciam administrarent, & jus dicerent; quod a vero abhorrere omnibus manifestum, qui eo ævo Siciliam Imperatoribus paruisse legerint. Patrimonium igitur ultro cõcedimus, & suffragatur S. Gregorius Magnus [6], qui in Sicilia Alexandrino Presbytero commendat Joannem Diaconum à Mariniano Ravennate Episcopo missum, ut distractum patrimonium reintegraret. Dominium autem nullum agnoscimus.

4 Quàm latè autem differant patrimonia á juribus, locis, ac Territoriis Civitatum, refert Eruditissimus Pagi [7], ex Cointio [8], qui Epistolam Pauli ad Pipinum (9) expendit; in qua voces illas, jura, loca, fines, & territoria, pertinere dicit ad donationem Pipinianã, & constituere partem Principatus à Pipino Rege collatam Romano Pontifici. Patrimonia verò sita esse tum intra, tum extra donationem, Pipini, & pro subsidio, & alimento Pauperum assignari, aut luminarĩũ con-

(1) *ad ann.* 325.*n.*55.(2) *Not.*1.*Eccl Cat.*(3)*t.*1.*Jan.*(4) *Not.*3.*Eccl.Leont.* (5) *lib.* 2. *Hist.Raven.* (6) *l.*9.*ep.*4.[7] *In Paulo I.n.*15.(8) *Annal.Eccl. Franc.ad an n.*760.*n.*7.(9) 21.*Cod.Carolin.*& 3.*Edit.Conc.Labbe.*

concinnatione. Hæc latiùs legenda apud ipsum; nobis innuisse sufficiat pro Rubei hallucinatione detegenda.

5 S. Bassianus item Syracusanus ex Pirro, & Cajetano citatis, Urso sanguine junctus, ad ipsum anno 380. venit; à quo Sacerdotio initiatus; dein Laudensem Episcopatum obtinuit. Hic sanctitate, & doctrina conspicuus, D. Ambrosio Commilito strenuus, (utinam & aliquis conterraneum ostenderet, quod expetendum alibi diximus) sub Damaso Romano Pontifice Concilio Aquilejensi interfuit contra Palladium, & Secundinum Arianos, quamvis in Actis Concilii apud S. Ambrosium Basilicus pro Bassianus, typorum sphalmate, legatur. Item Romano, ac Mediolanensi contra Jovinianum Epicureum, S. Ambrosii extremo agoni, ac funeri adstitisse refert Ferrarius apud Pirrum. Dies ejusfestus in Lõgobardia Transpadana, ac in Martyrologio Romano, ac Maurolyci 19. Januarii.

6 His alii accensent Julium Firmicum Maternum, Virum certè multigenæ literaturæ gloria insignem. Plura scripsit Mathematica, quæ apud Eruditos nimis obtinent; unde Petrus Opmeerus (1): *Julius Firmicus Siculus ex Ægyptiorum, atq; Babyloniorum observationibus doctrinam de astrorum judiciis non indiligenter tractavit*. Item de prophanarum Religionũ erroribus; quod opus Constantino Juniori Magni filio nuncupavit, & extat in Bibliotheca SS. PP. Quamvis autem Baronius (2), & alii in id propendeant, quòd duo ejusdem nominis fuerint; antiquior alter, & Christi cultor, alter Ethnicus, & recentior; nihilominus Gullielmus Cave [3] unicum propugnat, & Christianæ Fidei assertorem, cui libenter subscribimus. Ejus cum laude meminere Viri Eruditi, Picus, Pontanus, aliique apud citatum Morabitum, & Mongitoriũ in Bibliotheca. Hunc eundem fuisse, ac Sanctum illum Maternum Episcopum Mediolanensem, qui sub Diocletiano plura Confessor pertulerat gloriosus, ac Sanctorum Nabotis, ac Felicis Corpora tumulasse legitur, in ambiguo est; & conjecturæ limites non egredi, tenet Baronius (4); ac Tillemontius (5); imò Maternum hunc successorem constitui oporteret Merochio, qui in Concilio Romano anno 313. sed priusquam Julius Firmicus opus scriberet Cæsari nuncupatum. Sed P. Cajetanus conjecturam hanc firmari docet ex monumento patrimonii, & prædiorum, quæ in Sicilia Sæculo 6. adhuc possedisse Ecclesiam Mediolanensem constat, tum Cathedram tenente Eustorgio II., Cassiodori testimonio [6], & Mediolanensium Tabulatum suffragio, tum Laurentio II., ut constat ex Epistola octuagesima libri primi S. Gregorii Magni: hæc autem obtinuisse ex Materni illius donatione pro certo habet, sicut patrimonium Siculum Ecclesia Ravennas ab Urso; legatur ejus Isagoges c. 40. ubi de hoc latè.

7 Duos item Ecclesia Leontina Sãctitate insignes Presbyteros protulit, Eustratium, & Charitonem, S. Donati, de quo Sæculo præcedenti sermo, filios, & in munere successores: primò quidem Eustratium, cui

Q 2 dies

(1) *lib. 1. Orb. Chr. apud Morab. ad ann. 355.* [2] *ad ann. 355.* (3) *Histor. cit. Script. Eccl. Sæc. 4.* (4) *ad ann. 337. n. 74.* (5) *tom. 5. Not. super SS. Felic. & Nabor.* (6) *Epist. 29. lib. 2.*

dies festus 14. Octobris designatus, deinde Charitonē, prout videre est in Actis SS. Fratrum Cryptæ Ferratæ apud P. Cajetanum (1). Pietate quoque insignem fuisse oportuit Hilarium illum, apud Mongitorem in Bibliotheca, Syracusanum, qui deterrore in ea Civitate disseminato S. Augustinum consuluit Epistola inter Augustinianas 88, cui S. Doctor Epistola 89. respondit. Alii tamen cum Morabito (2) in id propendent, quod Hilarius ille Arelatensis Episcopus fuerit, eo temporis Syracusis divertens.

8 Non omittendus hic Calogerus, non ortu quidem, sed habitatione, ac carnis depositione Siculus. Chalcedone profugum in Siciliam venisse cum Sanctis Martyribus Gregorio, & Demetrio, de quibus supra §. 2., educit Cajetanus ex hymnis Sergii Monachi Sæculi 9. Scriptoris: *Cum esset Hierarcha Gregorius sanctitate conspicuus, Demetrium magnum Ecclesiæ Diaconum, plerosque alios sanctimonia insignes Viros secum accipiens, in quibus noster Calogerus. . . . ab Oriente in Siciliam appulisti Divine Pater unà cum Gregorio Archierarcha &c.* Grande autem negotium facessit Animadversori, qualis Gregorius ille fuerit, qui Hierarcha, & Archierarcha indigitatur, ac in suspenso rem relinquit. Calogerus certè Asceta; unde Abbatem audire licet; Demetrius vero Chalcedonensis Ecclesiæ Diaconus, unde non leviori fundamento Episcopum adstruere est. Sociis duobus Martyrio sublatis Calogerus Cranium montem subiit, qui fortè nunc mons S. Calogeri prope Xaccam, ubi Asceram egit, ibique in Domino obdormiens cum aliis duobus tumulatus est. Omnes sanitatum gratia clari, & in Dæmones imperio. Corpora in Monasterio Ordinis S. Basilii Fragalatensi nunc coluntur; festus dies 14. Kal. Julii designatus.

9 Acta quædam, quæ ante Sergii carmina pulvere excusso, pridem obtinuerant, Constantinopolitam referunt Calogerum cum Eunophrio, & Archileone in Siciliam, Nerone imperante, à D. Petro missos; his vero Suteram contendentibus, Calogerum in Lipara Insula restitisse, nec nisi visu monitum excessisse, indeque appulisse Xaccam unius diei itinere. Sed certè nec Eunophrium, & Archileonem Suteram unquam vidisse testatur. P. Cajetanus, apud incolas solùm reliquiis celebres; nec Calogerum à D. Petro in Siciliam missum in Insula Liparitana Sedem fixisse credibile est, & inde ultra 300. passuum millia unius diei intervallo Xaccam usque confecisse: figmentis igitur his, & ætate Neroniana expuncta eundem esse Calogerum putat hoc Sæculo locandum, qui Constantinopoli, an Chalcedone profectus dicatur, parùm Historicæ veritati obest, cum invicem nonnisi mille passuum intervallo ad Bosphorum Thracium distare compertum sit. Majoris certè negotii est, quod in nocturni officii lectionibus innuitur Calogero in Lipara Insula Asceræ Theodorici Regis mortem eodem, quo acciderat, die divinitus revelatam; inde quippe Sæculo 6. adstruendus. Cum autem dubitanter id in officio appositum legatur, sicut & subveritus idem tradiderat Maurolycus in Historia, & in Martyrologio, faciliùs descendendum in id, quod asseruit Baptista Alovisianus, revelationem nempe illam de

(1) *tom.* 1. *SS. Sicul.* (2) *ad ann.* 411.

de Theodorici obitu, & pœnis S. Lannoni ex Eremitis S. Augustini factam fuisse, quin duplicem, aut triplicem Calogerum asserere cogamur. Legendus B. Cajetanus in Vita, & Animadversionibus.

10 Doctrinæ laude floruere eodem tempore Syracusis Flavius Vopiscus Historicus celeberrimus, qui à Diocletiani ætate adhuc post Constantini Chlori mortem superstes legitur apud Hankium (1), & Tirinum [4]. Eum gentilem fuisse docuit Tirinus. Scripsit Cæsarum Vitas ab Aureliano ad Carinum, & Numerianum, ut testatur Fabritius [3], & ejus opera pluribus Eruditorum notis illustrata sæpe lucem publicam non sine plausu aspexere. Citherius item Poeta clarissimus, & Græci idiomatis Burdegalis professor, cujus meminit Joseph Scaliger (4). Floruit insuper Mamertinus, qui Messanensis, Rhetoricis operibus insignis sub Juliano Augusto, à quo consulatum meruit. Ejus meminit Ammonius [5]; Sigonius [6], & alii. De quibus omnibus legendus Mongitorius in Bibliotheca.

(1) de Rom. rer. Script. p. 1. c. 28. art. 1. [2] in indic. auct. cit. in com. S. Script. [3] Biblioth. Latin. (4) Auson. lect. l. 1. c. 12. [5] lib. 0. (6) lib. 1 occid. Imp.

## §. IV.

## ECCLESIASTICÆ POLITIÆ ORDO.

1 QUarto hoc Sæculo reliquas præter enumeratas Siciliæ Ecclesias ordinatas affirmat Pater Cajetanus [1], nempe Cariniensem, Thermitanam, Tyndaritanam, Mylensem; sub quo autem Pontifice, à quo recèns institutæ Cathedræ Episcopum mitti de more oportuerat, se nescire fatetur. Cum autem id unde eruerit non proferat, lubricam divinationem hanc censeo, & mero judicio subnixam; quippe nec alteri cuiquam compertum, nec ex Tabulariis monumenta, qui primò Episcopi sederint, & quo anno inaugurati; quin & in his, quas eatenus fundatas novimus Ecclesias, ingentes lacunæ intercidunt, quæ in Scripturarum jacturam ob iteratas Siciliæ clades rejiciendæ; in iis verò, quæ ad nos devenere, conjecturis dûtaxat, & crassa nimis Minerva nos agi testatur Morabitus (2).

2 Superstites in Ecclesia Lilybætana sub Diocletianæa persecutione, qua excussus S. Gregorius ex Pirro (3); quid inde actum, in tenebris. In Catanensi B. Severinus ad tempora Silvestri, & Constantini constituitur, qui Mœnis templum D. Agrippinæ consecrasse legitur apud eundem (4); nec qui decessor, aut successor, comperimus. In Leontina S. Rhodippus Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus: cum autem post Neophytum sede-

(1) Isag. c. 38. (2) Annal. Mess. ad ann. 321. [3] lib. 1. Not. 4. Eccl. Lilibet. (4) lib. 2. Not. 1. Eccl. Cat.

ſederit per annos 17. à 296. ſublatum conjicimus anno 313. Quo autem Sæculo conſtituendi, quos Pirrus (1) ſucceſſores enumerat, Criſpus, Theodoſius, Felicinatus, Herodion, & alter Theodoſius, non niſi hariolantibus notum. Certè Creſcens, qui poſt eos recenſetur, S. Luciani deceſſor ad calcem 6. Sæculi ſediſſe putandus, cum Lucianus 7. initia attigerit.

3. In Eccleſia Meſſanenſi patrii Scriptores (2) magnum illum Capitonem conſtituunt, qui Concilio Nicæno interfuit, & Evagrium, qui in Antiocheno ſub Meletio ſubſcripſiſſe refertur. Incertæ tamen Sedis Epiſcopum Capitonem Siciliæ aſſerit Pirrus; (item & Evagrium, ſi noviſſet) & quidem eodem argumento ductus, quo Meſſanenſes Scriptores ſibi vendicant, quia nempe Siciliæ Epiſcopus appellatus. Hinc illi antonomaſtice ita nuncupatum totius Inſulæ Metropolitanum ſuſtinent, hic incurioſam, prout mos ferebat ætatis, ex quavis Siciliæ Eccleſia Epiſcopi ſubſcriptionem fuiſſe mordicus tuetur. Ego porro quidquid ſit, an circa tempora D. Gregorii Siciliæ Epiſcopus Provinciæ univerſæ Metropolitam audierit, (de quo infra Sæculo 6.) vix adducor, ut Capitonem Siciliæ Epiſcopum certæ Sedi adſcribam. Metropoliticæ ſanè authoritatis monumenta hoc tantùm Sæculo, nec ante Nicænam Synodum habemus; nam Laodicenum Concilium, in cujus Canone 12. ejus mentio iniicitur, non ante Nicænum, ut falsò putavit Baronius, & Binius, ſed poſt celebratum reor cum Natali Alexandro (3), meminit quippe Photinianæ hæreſis, quæ circa Syrmienſis Synodi tempora, anno 349. congregatæ, primò emerſit. Niſi igitur aliunde conjectura iſta Meſſanenſium Scriptorum fulciatur, incertæ potiùs Sedi Capitonem, & Evagrium Siciliæ Epiſcopos nuncupatos, addico. Suadet etiam, quòd inter Nicænos Patres, quos Athanaſius (4) recenſet, cum quibus Capito Siciliæ memoratur, alii enumerantur, qui à Provincia nomen accipiunt, cujus neutiquam univerſæ Metropolitani fuerint; ut Maximinus Galliæ, Euſtorgius Italiæ, Lupus & Appius Ciliciæ, Piſtis & Ariſtæus Græciæ &c. Hoc tamen non judicium, ſed Criterium eſto; nec partium juribus præjudicatum volo.

4 Bacchylum II. item circa annum 380. in Cathedra Meſſanenſi conſtituit Morabitus, cujus memoriam in Epiſtola S. Leonis ad Siculos Epiſcopos haberi affirmat; ſed cũ Leo non ante annũ 440. Pontificatum inierit; & Bacchylum illum in Epiſtola ſua Paſchaſino Lilybætano copulet, quem circa annum 448. ſediſſe certum eſt, cur & quomodo ad Sæculum 4., & annum 380. revocarit non video; niſi fortè ipſi ultra annos 68. in Epiſcopatu ſeſſionem tribuat; quod non facilè ſuſpicandum.

5 Longior de Alexandro diſceptatio, qui Sardicenſi Synodo interfuit; quem Pirrus (5) Meſenæ in Achaja, non Meſſanæ in Sicilia Epiſcopum aſſerit. Primum ejus fundamentum, quòd nullus ex Siciliæ Epiſcopis Concilio illi adſiterit, ſupra everſum eſt §. 1., aliud perpendendũ ſupereſt; quòd Meſe-

(1) *lib. 1. Not. 3. Eccl. Leont.* [2] *Morab. ad ann. 306. & 363. Rein. Not. Hiſt. ad an. 325. Piccol. de antiq. jure Eccl. Sicul.* (3) *Sæc. 4. cap. 4. art. 3.* [4] *orat. 1. ad Epiſcop. Ægypt. & Lib.* (5) *lib. 1. Not. 2. Eccl. Meſſ.*

fenæ feribatur Epifcopus, non Meffanæ, imò in noviffima Conciliorum editione addatur: Ab Achaja. Sed certè nec fubfcriptionibus hujufmodi in Conciliorum editionibus nimis fidendum, quia frequenter mendofæ; unde Syracufanum Epifcopum, qui in Arelatenfi confedit, indubitanter Chreftum, tomo primo Conciliorum Xyftum legimus; nec Latinus è Græco traductor Actorum Sardicenfium culpandus, fi Mefenæ pro Meffanâ tranftulerit, cum idem utriufque Græcum vocabulum fit: quapropter in antiquis Prolomæi tabulis, ferè Synchroni Geographi Sicula Meffana, Mefena infcribitur. Quód autem in noviffimis editionibus, ab Achaja, adjunctum legatur, quod in antiquioribus Colonienfi anni 1538., & Veneta 1583. non habetur, fitem inter antiquitatis fervandæ fuperftitiofos, ac modernioris induftriæ cultores fufcitat, à qua abftinendum.. Profectò Baronius (1), qui in Concilio Chalcedonenfi fubfcriptum fic legerat; *Joannes Mefene, Civitatis Provinciæ Achaja & Helladis*; rotundè fic emendavit: *Pro Siculis, Joannes Meffanenfis.*

6 Id actum arbitror, quia apud Ptolomæum citatum duplex quidem Achaja. Alia, quæ & Hellas, ab Auftro Peloponnefum refpiciens; alia una ex Peloponnefi Provinciis ad Boream Helladem habens, & interjecto Corinthiaco finu difcreta. In neutra autem Mefenæ Civitas conftituitur, hæc quippe in Provincia Mefenia, quæ ex Peloponnefiacis Auftraliffima, & mari ad Auftrum contermina. Hinc errorem manifeftum in Geographia fapit, Mefenæ in alterutra Achaja, quæcumque illa fit, locare; & deteriùs, fi in ea, quæ & Hellas. Meffanenfis igitur in Sicilia Epifcopus Alexander ille adftruendus, & de Pirro conquerendum, quòd rotius Siciliæ injuria Epifcopum hunc abrafecit, ut Civitati, quam non rectis oculis in fuis operibus unquam afpexiffe deprehenditur, denegaret.

7 In Ecclefia Syracufana plures legimus apud Pirrum (2), & M. S. Catalogo, Sæculo hoc fediffe, five antiquiorum diligentia, five recentiorum induftria: fidem quippe omnem hominum, fi non fuperat, exæquat, quòd tot inter clades nec unus ferè à fufcepto Evangelio Syracufanus Epifcopus à publicis monumentis, & hominum memoria exciderit; cum Syracufæ præfertim, præ cæteris Infulæ Civitatibus ftragi & ruinæ obnoxiæ frequentiùs fuiffe legantur. Hi Eutychius fub Diocletiano & Maximiano, Chreftus fucceffor ad Conftantini tempora, & Germanus incerti anni. An etiam alius à recenfitis Syracufanus ille innominatus, quem fuperiùs innuimus Sardicenfi Concilio interfuiffe, non judico. De uno Chrefto inter Siculos diffidium perenne; qualis nempe in Ecclefiaftica Hierarchia fuerit, cum unicè ad ipfum ex Sicilia univerfa Tractorias, ad Arelatenfem Synodum Conftantinus Imperator dederit, & fecum duos è fecunda Sede Epifcopos ducere mandarit, quos maximè deligendos judicaret. Hinc Syracufani, & qui à partibus ftant (3), Chreftum arguunt primæ Sedis Epifcopum fuiffe, adeoque Metropoli-

[1] *ad ann.* 451. [2] *lib.* 2. *tom.* 2. *Eccl. Syr.* (3) *Littar, de Prim. Eccl. Pan. & Syrac. Mirabell. lib. de nummis Syrac.*

politam, & totius fortè Siciliæ Primatem.

8 Obstant acriter Pirrus (1), & Piccolus [2] eruditis sanè rationibus, quæ apud ipsos legendæ; diversas tamen, esto in idem colligacent, vias ineunt; & Piccolo placuisse, Pirro displicuisse est, consecutionem illam. Chresto indicitur duos alios è secunda Sede Episcopos secum ducere; ergo primæ Sedis Episcopus fuerat: negat Piccolus; imò oppositum inferri argutè docet, nempe quòd adhuc secundæ Sedis Episcopus Chrestus fuerit, ex vi dictionis, *alius*, quæ ex Juristis similium rerum repetitionem importat: Ridet Pirrus, aliàs quippe, inquit, ex Textu Lucæ 23., quòd Christo Crucem bajulante: *ducebantur & alii duo nequam cum eo*, parilis in Redemptore nequitia argui posset. Sed profectò in toto Canone Scripturarum, dictio, *alius*, perpetim similitudinem præsefert, & in eodem textu, quem in Luca Pirrus expiscavit, similitudo nequitiæ, quam in Christo Judæi se reperisse jactabant, & quam ipsi inurere Diabolus intentavit: unde, in Catena Aurea D. Thomæ ad illum locum habetur ex Theophylacto; *Malam autem opinionem de Domino innuere volens Diabolus: etiam latrones faciebat crucifigi cum eo; unde sequitur: Ducebantur autem & alii* &c.

9 Deterioris certè frugis rationes censeo, quas Piccolo rejecto Pirrus solidas reputat & amplectitur. Admittit quippe primæ Sedis Episcopum fuisse Chrestum, primò ratione Ecclesiæ Syracusanæ, quæ ab Apostolis fundata cæterarum fœcunda parens, deductis quasi fidelium Coloniis, in alias Evangelium corrivavit: Sed certè si in hoc primæ Sedis characteristica notio constituatur, impossibile fuerat eo tempore duos ex Sede secunda Episcopos sibi socios adsciscere, cum Catanensis, Tauromenitana, Panhormitana, Messanensis, Triocalitana, & fortè etiam Leontina, ab Apostolis ordinatæ Ecclesiæ, ex earum traditionibus, non quidem intra Urbium mœnia conclusis fidei præconibus, sed qui Evangelium prædicassent omni Creaturæ, jam pari propagatæ Evangelicæ prædicationis gloria, primæ similiter Sedis habuissent Episcopos.

10 Alia ratione Pirrus Chrestum primæ Sedis Episcopum nuncupatum sentit, nempe non ex dignitate Ecclesiæ Syracusanæ, cui præfuerat, sed privilegio ætatis, seu consecrationis Episcopalis, quod clarè se ostendisse putat, quia in Concilio primus subscripsit; sed & hæc deterior; tum ob enormem saltum a persona ad locum; debuerat quippe inde primus ipse Sedens dici, non autem prima ejus Sedes; adeoque non duos ex secunda Sede, sed secundò Sedentibus sibi assumere oportuerat. Tum etiam & fortiùs, quia cum Pirrus Eutychium in Syracusana Cathedra Chresto decessorem constituat, sub Diocletiano, & Maximiano, anno 303. quomodo Chrestus decem circiter annos in Episcopatu habens, quot ad indictum usque Arelatense Concilium effluxerant, cæteris antiquior ordinatione tam securè constituitur? & quod gravius, nedum inter Siculos Episcopos, ex quibus unus ipse vocatus, sed inter sexcentos qui ex Adone (3), vel saltem ducentos, quot ex Baronio (4) Concilio Are-

(1) *lib.* 2. *Not.*2.*Eccl.Syrac.& lib.*1.*disq.*2.*S.*3.[2] *de antiq. jur. Eccl.Sic.c.* 5. [3] *In Chronic.æt.*6.(4) *ab an.*314.

Arelatensi adstitere, & quorum primus subscripsisse fertur.

11 Id Pirro demus: credulitatis limites transcendit, Constantinum, qui ab heri, & nudius tertius jam tunc Christianos fovere cœperat, Orbis Imperio gravatum, & bellis implicitum, adeò calluisse quorab inauguratione annos haberent Episcopi in angulo Italiæ trans mare constituti; ut unum Chrestū antiquioris ordinationis titulo præ reliquis seligeret, ad quem Tractorias daret. In id ergo faciliùs descendo, quòd morum probitate, & doctrinæ fama clarior inter cæteros Chrestus, inde Cæsari notus, meruerit specialis benevolentiæ affectu vocari; non autem quia primæ Sedis, sive Apostolica Ecclesiæ suæ fundatione, sive consecrationis diuturnitate omnibus præferendus. Ab illo abstineo, quòd fortè tunc temporis celeberrimæ apud exteros Syracusæ, & Imperatoribus notissimæ; adeoque Cæsari ex Romani Imperii Provinciis Episcopos vocare cogitanti Syracusanus ex Sicilia primò occurrerit; ne Urbes, quæ nunc ævi celebriores, in invidiam vocem, si adhuc Sæculo illo primas tenuisse contendant.

12 Ad hæc Romana dumtaxat eo temporis Primæ Sedis titulo gloriosa. Hinc in Actis Marcellini, sive genuina sint, sive spuria, certè tamen illius ævi vocabulis ad verosimilitudinem captandā compacta, meritò habetur. *Prima Sedes à nemine judicatur*. Alexandrina Sedes, quamvis Patriarchali decore conspicua, ad ea tempora ex Baronio [1] Secunda Sedes nuncupatur: *Vides ex his quantùm detulerint majores Primæ Sedi, nempe Romanæ Ecclesiæ authoritati; cum ex Synodo delegata causa secundæ Sedis Episcopo Alexandrino cognoscenda, unà cum illi subjectis Episcopis*; &c. Latè autem & eruditè expendit Morabitus [2] præcipuarum Sedium per Orbem Episcopos, non quidem primæ Sedis Episcopos, sed Sacerdotum, vel Episcoporum Principes, aut Sacerdotes summos nuncupari cōsuetos; donec Concilium Carthaginense tertium, factum illum, quòd arrogantiam oleret, proscripsit, & inde primæ Sedis dicti Episcopi Can. 26. *Ut primæ Sedis Episcopus non appelletur Princeps Sacerdotum, aut summus Sacerdos, nec aliquid hujusmodi; sed primæ Sedis Episcopus*. Et Baronius ad illum annum 397. quo Synodus hæc sub Augustino celebrata: *Sic igitur Africanos Episcopos in hoc Concilio vitare voluisse tantummodo nominum arrogantiam, non autem potestatis, & decentis tituli pati eosdem voluisse jacturam, ex eo facile poteris intelligere, dum qui primæ Sedis essent Episcopi, iidem noluerunt dici Principes Episcoporum, vel summi Sacerdotes* &c.

13 Quid igitur audiat in Epistola illa Constantiniana *Episcopos è Sede secunda*, operosiùs inquirendum. Ego porrò in celebri hac controversia, in eo vim magnam faciendam reor, quòd Donatistis de judicio Romani Concilii apud Cæsarē indebitè cōquestis, & ad ipsum appellantibus, Cæsar Patres vocaverit, & tunc Synodus Arelate indicta, ut legere est apud Natalem Alexandr. (3). Constantinus verò tunc temporis nec Christianus, nec forsan Cathecumenus, nisi propensione, & fidei favore, in Ecclesiasticis rebus novus homo: unde Optatus Milevitanus (4) Donatistis exprobat: *Majores vestri Imperatorem*

R.

(1) *ad an.* 389. [2] *Annal. Mess.* §. 8. (3) *Sæc.* 4. *diss.* 5. (4) *l.* 1. *Cont. Parmen.*

*rem Constantinum harum rerum adhuc ignarum bis precibus rogaverunt:* &c. Nil ergo mirum, quòd ea phrasi in Tractoria usus, quam vel recentissimè inducta disciplina ferebat; vel summariè agnitus Apostolicorum temporum, à fide constituta, loquendi modus obtulerat. Episcopos igitur è Sede secunda vel intelligendos reor, prisca phrasi, ejusdem Ecclesiæ secundi ordinis Presbyteros, doctrina celebres, qui causam fidei in Concilio juvare possint, quo pacto & Florum Syracusanæ Ecclesiæ Diaconum secum duxit. Moveor, quia Episcopi nomen sub Apostolo Paulo Presbyteris commune fuit, sicut vicissim nomen Presbyteri Episcopo. Id apertè habemus ex Hieronymo ad Evagrium (1) scribente. *Cum Apostolus perspicuè doceat eosdem esse Presbyteros, quos & Episcopos . . . quæris authoritatem? audi testimonium. Paulus, & Timotheus servi Jesu Christi omnibus Sanctis in Christo Jesu, qui sunt Philippis, Episcopis, & Diaconibus. Vis & aliud exemplum? In Actibus Apostolorum ad unius Ecclesiæ Sacerdotes ita Paulus loquitur: Attendite vobis & cuncto gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, ut regeretis Ecclesiam Domini, quam adquisivit Sanguine suo. Ac ne quis contentiosè in una Ecclesia plures Episcopos fuisse contendat, audi & aliud testimonium, in quo manifestissimè comprobatur eundem esse Episcopum, atque Presbyterum* &c. & clariùs Beda in caput 20. Actorum exponens verba Apostoli: *In quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos*, ait, *dixerat enim supra, Presbyteros Ephesi Miletum vocatos, quos nunc Episcopos, idest Superinspectores nominat. non una Civitas plures Episcopos habere potuit, sed eosdem Presbyteros, ut verè Sacerdotes, sub nomine Episcoporum significat. Conjunctus est enim gradus, & in multis penè similis.*

14 Secundæ igitur Sedis, Gradus, & Ordinis Episcopos appellare Presbyteros Apostolici ævi phrasis est; unde Primatius in caput tertium ad Timotheum (2). *Quæritur, cum de Presbyteris nullam fecerit mentionem, sed in Episcopis etiam Presbyteros comprehendit, quia secundus, & penè unus est gradus sicut multis Scripturarum testimoniis comprobatur*; & Isidorus Hispalensis (3): *Unde & Timotheus de ordinatione Episcopi, & Diaconi scribens de Presbyteris omnia tacuit; quia eos in Episcopi nomine comprehendis. Secundus enim, & penè conjunctus est gradus.* Vel si novissima locutione usus est Constantinus, è secunda Sede Episcopos intelligi facilè est Chorepiscopos, quorum gradus sub fine Sæculi tertii emersit, & ad medium usque decimi obtinuit. Hi quidem frequentes in pagis, & oppidis extra Cathedralem Civitatem, & Episcopi nomine sæpè insigniti ex Sigeberto (4): *Chorepiscopi, idest Villarum, & Regionum Episcopi.* Imo aliquoties vacantium Ecclesiarum, ad quas non tutus accessus verè Episcopi, ministeria sub Episcopo Civitatis in minoribus oppidis exercebant. Eos autem & secundi ordinis Sacerdotes dictos novimus, ex hoc, quòd septuaginta Christi discipulis eos comparavit Nicolaus I. Pont. (5), ex quibus aliqui primi ordinis, alii secundi ordinis Presbyteri,

(1) *Ep.85.* (2) *apud Natal-Alex.Sæc.4.diss.44.* (3) *lib.2.de Eccl.off.c.7.lib.7. Etym. cap. 12.* (4) *In Chronic. de Damas. 2.* (5) *ad Rodulphum Archiep. Bituricens.*

teri, ut videre est apud Natalem Alexandrum (1);& hujusmodi plures in Syracusana Parœcia, in qua ob Sanctorum Præsulum non interruptam frequentiam, ut ex M. S. Catalogo & Schobare retulimus, latiùs Evangelium disseminatum, adstruere non dubito;quorum duos Imperatoris jussu secum Chrestus duceret ad Synodum. Pirri nihilominus, Piccoli, Francisci Batoni, cæterorumque momentis nil per hæc ponderis derogatum velim; cum in idem colliment: nempe, ut exCōstantiniana Epistola, Metropolitica dignitas, aut Primatus Chresto Syracusano non solidè tribuatur.

15 Ecclesiastica ergo Sæculi 4. politia per Orbem, a Nicæno inde Concilio, Metropolitas habuit Juribus certis, ac dignitate discretos, qui & Episcopi primæ Sedis, & quandoque Primates dicti. Ulteriùs Primatum genus aliud, quos commissæ Sedis Apostolicæ vices super Metropolitas quoscunque, seu inter Primates primos constituerent. Et quidem Nicæni Can. 2. 4. &c. Provinciarum partitionem, & certa Metropolitarum jura tribuit Filesacus (2); *non quòd antea nulli essent Metropolitani*, abusivè fortassis ab Urbis splendore, aut tituli Metropolitico jure nominati, *sed quòd eorum potestas, & officium, aut cujusmodi esset, aut quibus locis attributa, non constaret*. Quæcumque autem in adversum ex Pontificum ante Syricium literis monumenta afferuntur, cum ipsis spuria censenda. Metropolitarum jura in ordinem redegit Antiochena Synodus anno 341. celebrata Can. 9. *Episcopos, qui sunt in unaquaque Provincia, scire oportet, Episcopum, qui praeest Metropoli, etiam curam suscipere totius Provinciæ; eo quòd in Metropolim undequaque concurrunt omnes, qui habent negotia. Unde visum est eum quoque honore præcedere* &c. Metropolitæ hujusmodi dicti primæ Sedis Episcopi ex Concilio Carthaginensi tertio citato, & Can. 28. *Ut Episcopi trans mare non proficiscantur, nisi consulto primæ Sedis Episcopo suæ cujusque Provinciæ* &c. Deinde: Primates ex Cōc. Taurinensi, quod Baronius, & Binius ad annum 397. constituunt, licèt plures ultra annum 400. protrahendum existimēt; ut videre est apud Natalem Alexandrum (3), in quo dirempta lis inter Arelatensem, & Viennensem Episcopos, de jure Metropolitico, decertantes, & statutum; ut qui Civitatem suam civilem Metropolim esse probaret, *Is totius Provinciæ honorem Primatus obtineret, & ipse juxta Canonum præceptum ordinationum haberet potestatem* &c.

16 Præter hanc, quæ Metropoliticæ dignitatis Primatiam, alia eodem Sæculo constituta ex munere Apostolicæ Vicariæ alicui Metropolitæ supra cæteros collato. Id inde ortum, quòd Romanus Episcopus, qui jure Pontificatus in universum Christianum Orbem jura sua diffundit, specialiter Patriarchico jure Occidentis Ecclesias sibi subjecerat. Cum autem, divisis inter Constantini Imperatoris filios Provinciis, Illyricum in Occidentali Imperio cecidérit, & dein anno 379. bifariam sectum in Orientalem, & Occidentalem portionem abierit, Romanus Pontifex, ne ex eo jura sibi Patriarchica imminui pateretur, Episcopum Thessaloni-

R ... cæ,

(1) *Append. ad dissert. 44. Sæc. 4.* (2) *cap. 9. §. 1. de Sac. Episc. aut.* (3) *Sæc. 4. c. 4. art. 7.*

cæ, quæ caput Illyrici Orientalis, Vicarium Apoftolicum, & ex inde cum auctiori dignitate in ea regione conftituit; de quibus latè Pagius (1), & Natalis Alexander (2).

17 Quid per Siciliam eodem ævo obtinuerit, fatis obfcurum. Metropolitam, cujus authoritas in fubjectos Epifcopos fundaretur, tunc temporis nullum agnofcit Pirrus (3); fed rationem, qua movetur, nullatenus approbo, quod nempe Romani Pontifices ante Gregorium Magnum ad omnes Siciliæ Epifcopos literas dederint, non autem ad Metropolitam aliquem, qui fubiectis Epifcopis Apoftolica juffa indicaret. Hoc quippe per univerfum Chriftianum Orbem tam ante, quam poft Gregorium Metropolitarum ordinem fubruit, cum ad univerfos Regionum Epifcopos ubivis gentium conftitutos literas miffas legamus. Scripfit quippe ad Gallos, Vigilius, Joannes II., Symmachus, Bonifacius, Cœleftinus. Ad Hifpanos Hadrianus, Benedictus II., Leo II. Ad Germanos Gregorius III. Ad Orientales, Dardanos, & Illyricos Horfmifdas, Gelafius, Cœleftinus, Bonifacius. Ad Africanos Zofimus, Anaftafius, Syricius. Ad Italos, Thufcos, Lucanos, Brutios, Campanos, Picænos, Samnites Gelafius, Leo, Pelagius I., Joannes I., Pelagius II. Ad Britannos, & Scotos Sergius, Joannes IV. &c. & paffim ad plures Gregorius. Sufficiens fatis fundamentum, quod quæ pro Metropolitica dignitate fibi vindicanda decertant Ecclefiæ, ex monumentis, tabulariis, traditionibus nil prorfus, faltem folidi, afferant.

18 Et quidem Panhormi Sæculo integro perpetua Præfulum lacuna. Chreftum Syracufanum nequiquam in eo Ecclefiafticæ Hierarchiæ ordine conftitutum oftendimus; quin & ante Nicænum Metropolitica jura adftruere, facilè non eft. Capitonem, etfi non incertæ Sedi, fed Meffanæ cum Urbicis Scriptoribus addicamus, oporteret in ipfa Nicæna Synodo Metropolitam conftitutum affirmare, quod oftendi difficile eft; cum poft annos 22. in Concilio Sardicenfi Alexander fucceffor non è Provincia, fed è Civitate attitulatus legatur; imò etiam, & Joannes Sæculo fequenti in Chalcedonenfi. Evagrius denique in Synodo Antiochena fub Meletio, Siculus, & non Siciliæ Epifcopus afferitur. Sarta igitur tectaque, cuiq; Ecclefiæ fua jura fint, & conjecturæ; nobis certi aliquid ftatuere non licet.

19 Epifcoporum fucceffiones in univerfa Ecclefia, jam inde à primo Sæculo, feptem Diaconorum exemplari, peracta, fuffragante Chriftianæ plebis teftimonio habemus ex S. Cypriano (4) apud Natalem Alexandrum (5); exclufa temporis decurfu vili plebecula per Novellam 127. Juftiniani Imperatoris, & honeftis dumtaxat Civibus fuffragantibus (6); unde Epifcopum inaugurandum voluit Syricius (7): *Si eum Clert, & Plebis electio vocaverit*. Quarto tamen hoc Sæculo Ecclefiafticæ Hierarchiæ ordine fufiùs in Nicæna Synodo conftituto, tum in Oriente, tum in Occidente, præcipuam partem habuere Comprovinciales Epifcopi, & iis circa finem Sæculi multùm Imperatorum placitis

(1) *in Syric. & in Xyft. III.* (2) *Sæc. 4. c. 5. art. 3.* (3) *lib. 1. difq. 2. de Metropolit. Sicil.* §. 3. (4) *ep. 68.* (5) *Sæc. 1. cap. 5.* (6) *apud eund. diff. 8.* (7) *ep. ad Himmer, Tarrac. Epif. c. 10.*

citis, & designationi deferentibus, ut legere est apud eundem Alexandrum (1).

20 Ita & nos in Sicilia servatum ultro concedimus; & quamvis ad tempora usque Gregorii Magni monumenta nulla supersint, nihilominus à cæterarum Ecclesiarum more Siculam deflexisse non censendum; ita ut ad Episcopos in semel constitutis Apostolica authoritate Ecclesiis, sufficiendos S. Sedem invocarint: hoc quippe supererat dicendum, excusso Metropolitici juris usu, & Comprovincialium interventu. Præter autem probabilem hanc conjecturam, nil luminis ex historiis, aut Siculis monumentis habemus; cum in Tabulariis Episcopi ferè quicumque solo nomine posteris noti, & veluti Melchisedechi quidam sine progenitoribus emergere comperiantur.

(1) *Sæc. 4. cap. 5. art. 6.*

## §. V.

## *SÆCULARIS IMPERII ANALECTA.*

1 Diocletianum, & Maximianum Herculeũ exorientis Sæculum quartũ Imperatores salutavit, quibus dein anno 304. Imperio abdicantibus, privatæ vitæ otio publicis curis posthabitis, Cæsares Constantius Chlorus, & Galerius Maximianus conclamati Imperatores, qui mox in sollicitudinis partes Severum, & Maximinum Cæsares nuncupatos invocarunt. Anno 306. Chloro vita, & dominatu functo, dictus Imperator Constantinus Magnus filius, sub quo Cæsares Maxentius Herculei filius, & Licinius, iis tamen omnibus profligatis, solus tandem obtinuit. Ipsum ad Christianas partes prodigium Crucis in Cœlo visæ, victoriæ prodromus, traxit: an autem in Galliis viderit Augustoduni, vel in Civitate Byzantina, an in Castris Romanis cum Maxentium obsideret, non consentiunt Viri Eruditi. Indicto Arelatensi Concilio, Latroniano jussit rhedas publicas Episcopis Siculis ad Synodum festinantibus ministrare; sed qualis Latronianus ille fuerit, Siciliæ Conductor, an Corrector, mera digladiandi prurigine Siculi Scriptores disquirunt. Conductor quidem in Epistola Constantiniana asseritur, & propugnat Morabitus (1): Correctorem voluit Inveges (2) secutus Gualterium, & ex inde Prætorem, qui Panhormi lapidem publicum Licinio Cæsari sacravit.

2 Tantæ molis profectò non arbitror lapidem unum figere, vel excutere, qui nec positus cujusquam auget gloriam, nec minuit excussus, ut in eo eruditus vir calamum acuat. Correctores in Romani Imperii Provinciis fuisse, qui iidem, & Prætores, fateor, & apud P. Cajetanum [3] lapis refertur Romæ ad viam Flaminiam extra portam Flumentanam. Fabio Titiano, Correctori Flaminiæ, olim constitutus. Fuisse etiam & Condu-

[1] *ad an. 314.* [2] *ad Ann. Sacr. p. 2.* (3) *Isag. c. 43.*

ductores, qui & Publicani, ex hoc nempe quod aliquid ex re publica conductum haberent, testis Ulpianus (1). *Publicani sunt qui publico fruuntur, & omnes, qui aliquid à Fisco conducunt, rectè vocantur Publicani.* Cur autem Conductor ille, qui in Epistola Constantini legitur, Latronianus, in Correctorem corrigatur, non video. Virum quippe clarissimum appellari, quin Conductor, & Publicanus fuerit, nil intercipit; habemus enim ex Cicerone (2): *Flos Equitum Romanorum, ornamentum Civitatis, firmamentum Reipublicæ, Publicanorum ordine continetur.* Quòd si Correctorem demus Latronianum, non nimis Invegii intento suffragari possumus; oportuit enim, quo tempore ad eum Imperator scripsit, ut Chresto iter ineunti præsto esset, Syracusanas Insulæ partes incoluisse, quibus præerat: Correctores quippe in Jurisconsultorum (3) libris ii sunt, quibus pars aliqua Provinciæ regenda committitur; quamvis nil obstet, quin ad Panhormitanas partes translatus postea lapidem Licinio posuerit. Totius autem Provinciæ Prætorem eum asserere, malè argui censeo, ex eo quòd Siciliæ Corrector dicatur; nec sanè debuerant ii ipsi, qui Siciliæ Episcopum in subscriptionibus Conciliaribus non pro Metropolita totius Provinciæ, sed pro uniusCivitatis Episcopo intelligendum mordicus sustinent, Correctorem Siciliæ ex hoc præcisè pro totius Insulæ Prætore usurpare; quasi non potuerit pariter obiici, quòd Corrector Siciliæ, Corrector in Sicilia, nempe unius partis tantùm, dicatur.

3. Anno Christi 317. Constantinus M. ad Patres appositus est; tribus filiis, quos successivè Cæsares dixerat, diviso Imperio. Cessere Constantino Galliæ, & Regiones Transalpinæ; Constanti Oriens, Constantio Græcia, Africa, Roma, Italia, adeoque & Sicilia. Huic uni Arianis partibus nimis propenso, tandem fratribus fato ultimo excussis cessit integrum Imperium. Anno 350. Julianum Cæsarem dixit, qui eo decedente Imperator, à Christiana Religione extorris, novo astu Persecutionem, illecebris potiùs, quam ferrò in Christum excitavit, quæ cum eo extincta anno 363. suffecto Joviano, qui pro Catholicis fuerit. Hunc anno sequenti vita functum excepit Valentinianus Senior, qui Occidentis Imperio contentus Valentem fratrem Cæsarem nuncupavit, & Orienti regendo addixit.

4. His Imperantibus duo ex Siculis neci traditi, quòd Imperium vel affectarent, vel mererentur. Theodorus unus sanguinis claritate conspicuus, invisus Valenti, cui omnes suspecti, quorum nomen initiales literas Theod. haberent (4); à Magis quippe audierat, sibi successorem futurum, qui hujusce nominis esset; unde quoscumque interficiendos curavit, qui Theodori, Theodori, aut Theoduli nuncupati. Chrysostomus autem (5), qui tunc adolescentiæ annos agebat, eum Cæsari insidiatū ait, ad Viduā seniorem scribens: *Revocabo autem tibi in memoriam Theodorum illum Siculum*, fortasse audisti; erat enim in primis notus, & celebris, *hic & pulchritudine, & magnitudine corporis, & auctoritate apud Imperatorem omnibus præstans, qua ea poterat,* quæ

(1) *lib. 1. de publ. & relig.* [2] *orat. 3 t. pro Eu. Plan.* (3) *lib. ex omnibus 10. & lib. pen. §. de off. Præsid.* (4) *Bar. ad an. 370.* (5) *Morab. Ann. Mess. ad an. 370.*

*quæ interiorum familiarium nemo; prosperam illam fortunam non moderatè tulit, sed insidiatus Imperatori, ac deprehensus, ipse quidem valde miserabiliter obtruncatus est.* Alter Procopius (1), qui Juliano Imperatori prædefuncto sanguine junctus, militum, & plebis favore ad Imperium adspirabat (2), à quibus tamen desertus in fuga captus Valenti sistitur, & capite plectitur (3).

5 Ingens item terræmotus iisdem imperantibus Siciliam afflixit, quo maris exundantis alluvione, & collabentium Urbium ruinis plures oppressi, ut habemus ex Paulo Diacono (4) *Per hæc tempora terræmotus per totum Orbem factus est; ita, mare littus egressum est, ut Siciliæ, multarumque Insularum Urbes concussæ & subversæ, innumerabiles ferme populos ruinis oppresserint.*

6 Ad hos Imperatores Siciliæ Commune Ambrosium quendam Legatum misisse refertur in Epistola Symmachi ad Ausonium (5), quæ talis est:

*SYMMACHUS AUSONIO.*

*Ambrosium de Summatibus Provincialis fori, ad Dominos, & Principes nostros Siciliæ Commune legavit, variis instructum mandatis, quæ spectare visa sunt bonum publicum. Huic si fautor accesseris, futurum reor, ut illi pro labore fructus accommodet. Quæso igitur, vel Legationis merito, vel meo nomine in optimum virum benè consulat, qui satis animi confirmatus est tuo suffragio, successuram felicitatem petitionibus promovendis.*

Hinc temporis, & personæ conditionibus expensis suborta Morabito suspicio, ex hoc solidari aliquatenus posse Anonymi illius Scriptoris, apud P. Caietanum in Vita S. Lucæ Carbonensis, assertionem, qua Magnum Ambrosium Ecclesiæ Doctorem Siculum pronunciat, qui publicis officiis obeundis à Probo Æmiliæ Præfecto Mediolanum missus alibi legitur, & inde Episcopus inauguratus. Hæc sanè non sufficiens conjectura, sed scintilla quædam, qua fortassis diligentiores posteri caliginem excutiant, & gloriam hanc Siciliæ vindicent.

7 Anno 375. Valentinianus mundo vale dixit; & post triennium Valens à Barbaris in fuga victus combustus. Subrogari Gratianus, & Valentinianus secundus, filii; hunc Pater ex Justitia uxore secunda, quam Severæ superinduxerat, susceperit; illam Siculam fuisse refert Jornandes (6), Justi cujusdam filiam, olim in Picæno Judicis, qui cum à dextro femore purpuram se genuisse somniasset, à Constantio Imperatore interfectus est, suspicione suborta, ne ex eo Cæsar nasceretur, qui Imperium occuparet. In idem descendunt Reina (7), & Morabitus (8).

8 Gratiano Imperatore Maximi Ducis fraude occiso, & Valentiniano Occidentis Imperio exturbato, Theodosius Collega Imperii, qui in Oriente obtinebat, suppetias tulit, & Valentiniano Occidentis Imperium restituit; quo demum nece sublato, anno 392. in cum unum iterum utrumque Imperium coaluit; non tamen diù; etenim anno 395. è vivis excedens iterum filiis divisit Arcadio, & Honorio. Illi Oriens,

(1) *Cuspinian. in Vit. Valentiniani.* (2) *Morab. Ann. Mess. ad an. 364.* (3) *Idem ad an. 366.* (4) *de fast. Rom. ad Eutrop. Hist. l. 11.* (5) *l. 1. ep. 17.* (6) *l. 1. de reg. & temp. succ. n. 40.* (7) *Not. Hist. ad an. 347.* (8) *Ann. Mess. ad an. 366.*

Oriens, huic Occidens assignatus; non tamen pacatum Honorio Imperium, nisi Gildonis exitiali fato, qui Africam occupaverat. Hunc in Sicilia occisum satis se conjecisse putat Baronius (1) ex versibus Claudiani (2).

*Agnovitque novos absens Arethusa triumphos:*

*Gildonis sensit, teste cruore, necem.*

Sed certè ex his verbis potiùs in Sicilia, Occidentalis Imperii Provincia, festa de more celebrata conjicere est ob Gildonis excidium alibi fortasse in Africa, unde rumor delatus, quàm in Sicilia occisum Gildonem.

9 Hoc Sæculo effectam Siciliam Consularem Provinciam affirmat P. Cajetanus [3], & ex antiquis lapidibusConsulares Siciliæ recenset: Fabium Titianum, & L. Aradium Proculum sub Constantino; Vitrasium, Orfitum, & Flavium Dulcitium sub Constantio, & Constante; Valerium Quintianum,&Domnum sub Valentiniano, & Valente; Eusebium sub Arcadio, & Honorio, imò ante Constantiniana tempora anno 304. Morabitus [4] Calvisianum enumerat. Ex his clarè colligimus Sæculo 4. Siciliam sub Imperatoribus fuisse; non autem sub Romanæ Ecclesiæ ditione. Siquidem omissis rationibus, quibus apud aliquos suppositionem olet Constantiniana donatio apud Natalem Alexandrum legendis (5); quæ communiter reiiciuntur; à posteriori argumentum est,quod serie non interrupta perpetim constituti per Imperatores in Sicilia Præfecti, & Consulares. Hanc quippe consecutionē legitimam censet Alexander citatus (6):non inde verò evincitur Romam hoc Sæculo in Rom. Pontificis subjectione non fuisse, eò quòd temporeConstantis,Præfectus Imperatoris nomine constitutus, jussus sit Liberium deportare ex Athanasio(7):*Scribit igitur Imperator Romam, rursumque Palatini, & Comites emittuntur, & literæ ad Præfectum ut Liberium, aut per dolum è Roma seductum, aut in castra ad se mitteret.* Et tempore Valentiniani Prætextatus Præfectus Româ Ursicinum Antipapam facessere jusserit ex Ammiano Marcellinò (8); hæc enim non juri, sed vi adscribenda.

SÆCULI QUARTI.
FINIS



(1) *ad an.*398. (2) *præf.de Bello Gildonic.* [3] *Isag. c.*42. (4) *Annal.Mess. ad an.*304. (5) *Sæc.4 diss.*25.[6] *lib.*1.*art.*1. (7) *ep.ad solitarios.* (8) *lib.*27.

# SÆCULUM QUINTUM.

## §. I.

## *ECCLESIASTICARUM RERUM SYNTAGMA.*

1 SÆculi Quinti anno primo cadente, Anastasium Romanum Pontificem excepit Innocentius natione Albanus, cui præclarum testimonium debet Sicilia, quòd ejus Ecclesia ab Apostolis constituta sit; scribit quippe in Epistola ad Decentium Eugubinum: *In Siciliam Insulasque circumjacentes nullum hominum instituisse Ecclesias, nisi quos Venerabilis Apostolus Petrus, ejusque Successores constituere Sacerdotes.* Eo sedente Melania senior in Palæstinam redux juniorem cum Viro Piniano, & aliis in Siciliam asportavit; ubi ipsa quidem prædiis, quæ in Insula obtinebat, divenditis, pretiū Hierosolymam transmisit in pios usus erogandum; Junior verò Patrimonium suum inibi constitutum sibi retinuit, quò ex proventibus Ecclesiarum, ac pauperum angustias levaret. Id habemus apud Tillemontium (1), & ex Metaphraste (2); clariùs autem ex Palladio (3): *Enimvero seniorem Melaniam, quæ multas possessiones antea distraxerat, & in Christi pauperes elargita fuerat, in Siciliam cum nepte; ejusque Socru transgressam, reliqua omnia sua vendidisse, pecuniam ex iis coactam Hierosolymam transmisisse, at Melaniam juniorem omnes possessiones, quas habebat in Gallia, & Hispania, vendidisse, easque distribuisse; quæ autem habebat in Sicilia, Campania, & Africa, sibi reliquisse, ut suppeditare posset Monasteriis, & egenis.* Adventum hujusmodi ad annum 408. statuit Cajetanus (4), sed non ante annum 410. accidisse probat Tillemontius (5), cum Alaricus capta Roma in Calabriā descendens Rhegium Calabriæ incendisset, cujus incendii testes se fuisse testantur.

2 Cum ipsis Rufinus Aquilejensis Presbyter acerrimus D. Hieronymi Antagonista, in Siciliam veniens, ibi virus suum Pelagianæ hæreseos prodromum effudisse traditur apud Tillemontium citatum (6), & consonat S. Hieronymi (7) testimonium: *Scorpius*, Eruditis quibuscunque certè Rufinus, *inter Enceladum, & Porphyrium Trinacriæ humo premitur, & Hydra multorum capitum contra nos aliquando sibilare cessavit.* Unde in Sicilia supremo fato functum clarè deducitur.

3 Sub hoc Pontifice clarissimum Ecclesiæ lumen Augustinus, jam ab anno 396. Hipponensis in Africa Episcopus consecratus, maximè effulsit, Deo certè providente, ut diffusas à Pelagio per Orbem errorum tenebras doctrinæ suæ radiis dispelleret invi ctus Divinæ

S Gra-

[1] *tom.* 14. *in Melan. Junior. art.* 4. (2) *in Vit. Melan.* (3) *cap.* 103., & 104. (4) *Isag. cap.* 40. (5) *lib.* 1. *art.* 6. & *tom.* 10. *in Melan. Vid. art.* 9. & *tom.* 12. *in Hier. art.* 128. (6) *art.* 10., & 125. (7) *Præf. in Ezech.*

Gratiæ propugnator. Debacchata pestis hæc ex Natali Alexandro (1) ab anno 404., & inter sectatores præcipuus Cœlestius. Utrumque in Sicilia fuisse, & Syracusis ad biennium, aut fortè ad triennium commoratos, infectos latices corrivasse affirmat Graveſſonius (2), quod quidem de Pelagio Morabitus (3) docuerat secutus Baronium (4), qui Pelagium Roma facessere jussum pestilentiæ Cathedram diu in Sicilia fixisse, ad Occidentis populos seducendos, scripsit. Hoc tamen P. Cajetano (5) ambiguum; indubitatum autem asserit de Cœlestio, quod eruit ex emendata Augustini Epistola ad Paulum, & Eutropium Episcopos, qui ut Cœlestii definitiones contunderet, rogarunt, quas ex Sicilia Catholicus fortè quispiam, ut ait Tillemontius (6), asportarat: *Prænotata est Chartula, quam dedistis: Definitiones Cœlestii: quæ prænotio credo, quòd non illius sed eorum, qui hoc attulerunt de Sicilia, ubi Cœlestius nunc,* pro, non, *esse perhibetur.... Fratres, qui hoc attulerunt, in Sicilia existimo audisse, quòd ipse docuerit ista, vel scripserit* (7).

4 Nihilominus Pelagii saltem discipulos quoscunque Syracusis Christianam plebem novitatibus suis perturbasse, quod circa annum 414. evenisse putat Tillemontius (8), cunctis perspicuum ex Epistola Hilarii ad Augustinum, & hujus responsione (9); eadem quippe dogmata, quæ priùs Carthagine damnata in Cœlestio, & alia quæ Pelagianam superbiā sapere observavit citatus Tillemontius (10), Syracusis disseminata in Epistola sua Hilarius conqueritur: *Quidam Christiani apud Syracusas exponunt dicentes: Posse hominem esse sine peccato, & mandata Dei custodire, si velit. Infantem non baptizatum morte præventum, non posse perire meritò, quoniam sine peccato nascitur. Divitem manentem in divitiis suis Regnum Dei non posse ingredi, nisi omnia sua vendiderit; nec prodesse eidem posse, si ex ipsis divitiis fecerit mandata. Non debere jurare omnino. Et de Ecclesia, quæ sit, de qua scriptum est, non habere rugam, neque maculam; utrum hæc sit, in qua congregamur, an illa, quam speramus. Quidam autem putant Ecclesiam hanc esse, quæ nunc frequentatur populis, & sine peccato esse potest.* Insuper illos in Occidente, præsertim in Rhodo, & Sicilia hæc effutisse docet Hieronymus (11) apud Morabitum, & laudatum Tillemontium (12).

5 Siciliam verò nedum impigram in Pelagiana hæresi profliganda diligens Hilarii ab Augustino interrogatio evincit; sed & invictè illam ex suis finibus propulisse cecinit S. Prosper (13).

*Præterea quanto fuerit benè mota tumultu*
*Clara Ephesus, non passa suis consistere tectis*
*Vasa iræ, & morbi flatus, & semina mortis.*
*Quaque fide tellus etiam Trinacria fervens,*
*Agmen Vipereum propriis exegerit oris.*

6 Innocentio item sedente celebra-

(1) *Sæc. 5. c. 3. art. 2. §. 2.* (2) *Hist. Eccl. tom. 1. Sæc. 5. Colloq. 2.* (3) *ad an. 410.* (4) *ad an. eund.* (5) *Isag c. 35.* (6) *tom. 13. in Aug. art. 253.* (7) *Aug. l. de perfect. Just.* (8) *tom. 13. in Aug. art. 243.* (9) *inter Augustinianas 88. & 89.* (10) *lib. 1. art. 243.* (11) *Præf. in Hierem.* (12) *tom. 12. in Hierem. art. 135. & tom. 13. cit.* (13) *lib. de Ingrat. c. 2.*

lebratum Concilium Milevitanum contra errores Pelagii anno 416. falsò apud Pirrum (1) 402., quando tunc nondum incendium illud exarsisse compertum sit. In Insula Melita Siciliæ contermina coactum, cujus Episcopus Sylvanus, contendit Surius, Maurolycus, & alii citati ibidem à Pirro, Romanæ Curiæ phrasi fortè decepti, quæ Melitensem Episcopum, Milevitanum appellare consuevit; & populari quodam rumore, qui apud Melitenses invaluit, quòd Templum S. Mariæ de Millexha à Gaudos ad tria passuum millia distans, ædes sit, in qua Augustinus, & cæteri Milevitanæ Synodi Patres consedere. Sed figmentum hoc communiter explodunt Viri Eruditi apud eundem Pirrum, Jacobus Bosius [2], Balduinus [3], Pamelius (4), Misæus (5), & Baronius (6), qui ex Epistola Synodica Concilii, & literis plurium Episcoporum ad Innocentium clarè evinci ostendit Milevi in Numidia congregatum fuisse. Augustinum testem omni exceptione majorem citat Pagius (7), qui ad Valentinum scribit de Milevitana, & Carthaginensi Synodo, *Quod scriptum est ad Papam Innocentium Romanæ Urbis Episcopum de Concilio Provinciæ Carthaginensis, & de Concilio Numidiæ; & aliquanto diligentiùs à quinque Episcopis* &c. Sylvanum autem illum non Melitæ Insulæ, sed Zumnensem Episcopum fuisse, & Numidiæ Primatem asserit Natalis Alexander (8), & ad eundem per plures annos dein superstitem visus est Tillemontio (9) scripsisse Constantius Honorii Collega, anno 419. Epistolam datam die Paschali 30. Martii, & ad alios Episcopos Augustinum, Alipium, Evodium, Donatianum, Novatum, & Venerium.

7 Anno Christi 417. Innocentio è vivis sublato, Zosimus Græcus Petri Sedem tenuit; eoque vix ordinato, error in Paschali solemnitate apud Occidentales irrepsit, quæ die 25. Martii celebrata, cum ad diem 24. Aprilis protendenda esset. Res tamen in Sicilia miraculo detecta est, quod fusè Epistola sua ad Leonem Magnum Romanum Pontificem narrat Paschasinus Episcopus Lilybætanus (10): *Hujus Mysterii miraculum tale est: Quædam vilissima possessio Meltinas appellatur, in montibus arduis, & Sylvis densissimis constituta; illicque perparvo, atque vili opere constructa est Ecclesia, in cujus baptisterio nocte Sacrosancta Paschali baptizandi homines, cum nullus canalis sit, nulla fistula, nec aqua omnino vicina, fons ex se repletur, paucisque, qui fuerint, consecratis, cum deductorium nullum habeat, ut aqua venerat, ex se discendit, tunc ergo cum Sanctæ memoriæ Domino quondam meo, ac Beatissimo Papa Zosimo, cum apud Occidentales error ortus fuisset, consuetis lectionibus Nocte Sacra discursis, cum Presbyter secundùm morem baptizandi horam requireret, usque ad lucem aqua non veniente, non consecrati, qui baptizandi fuerant, recesserunt. Ut ergo breviter narrem, illa nocte, quæ lucescebat in diem Dominicam, 10. die Kal. Maji, fons sacer hora competenti repletus est. Evidenti ergo miraculo claruit Occidentalium partium fuisse errorem.*



(1) *lib. 1. Not. 7. Eccl. Melit.* (2) *Hist. Hier. p. 3. f. 5.* [3] *Com. in S. Optat.* (4) *super l. S. Cyprian. de Conc. Carthag.* [5] *Not. Ep. l. 5.* [6] *Annot. in Martyrolog. 4. Januarii de S. Optat.* (7) *in Innoc. n. 38.* (8) *Sæc. 1. c. 3. art. 5. §. 5.* (9) *tom. 12. in Benifac. art. 4.* (10) *ep. 63. apud S. Leonem.*

8 Zosimum Pontificem Encyclicam Epistolam ad Episcopos Italiæ, & Siciliæ transmisisse contra Pelagii errores, quam unanimes in fidei Confessione subscriberent, tradit Mercator apud Tillemontium [1], renuisse autem Julianum Campanum cum octodecim Episcopis, quos maxima ex parte Siculos asserit. Sed hæc certè omnes exsibilent, qui tot Episcopos eo ævo Siciliam non habuisse noverint, unde maxima pars numeri octodenarii conflatur. Unde hoc eruat, non refert: levissimum autem momentum, quo fortè ductus in id erupit, innuit citatus Tillemontius in nota marginali, quòd nempe libellum propriæ Confessionis Episcopi illi conscripserint, in cujus calce legatur: *explicit Libellus fidei S. I. C.*, quæ literæ ipsi perperam interpretatæ *Siculorum*, at cur non potiùs, ait citatus author, *Sacerdotum JesuChristi*? satius ei fuisset se interpretationem Ciphræ illius ignorare syncerè fateri, quàm piissimæ Siculorum Genti fœdam adeò notam inurere, & octodecim Episcopos, quos inter præcipuus Julianus Campanus, Siculos hariolari.

9 Anno Christi 418. Zosimum excepit Bonifacius Romanus, qui Eulalii schismate diu exagitatus, eo tandem excusso, pacificè sedit ad annum 423. cum ad decessores appositus vacuam Petri Sedem Cœlestino Campano concessit. Sub ejus Pontificatu impium Nestorii dogma emersit, quod coacta Romæ Synodo anno 430. damnatum, & solemniùs anno sequenti in OEcumenica generali Ephesina. In ea Siculos Episcopos cum cæteris cōsedisse arguit P. Cajetanus (2), eo quòd omnes Occidentalis Ecclesiæ Sacerdotes Concilio interfuisse Acta commemorarent: quamvis autem divinationis limites conjectura hæc vix transiliat, non tamen id inverosimile in Episcoporum 274. numero, quot Marius Mercator sedentes enumerat apud Natalem Alexandrum (3). In eodem Concilio Salutationem Angelicam incrementum accepisse per illa verba, *Sancta Maria Mater Dei ora pro nobis*, &c.; quo clariùs per Ecclesiam universam Fideles quotidie Nestorii dogma execrarentur, docuit Baronius [4]: doluit tamen Tillemontius (5) id non probasse antiquo documento, licèt non multò post id actum fateatur.

10 Anno Christi 432. Cœlestino vita functo Xystus III. Romanus ordinatus; cui obeunti anno 440. suffectus Leo Magnus. Ad eundem annum Tillemontius (6) constituere videtur in Sicilia Synodum quandam Catholicorum Episcoporum, qua damnatus Maximinus Episcopus Arianus, contra quem scripsit Augustinus, & qui in Insula Arianæ factionis caput agebat. Sed in Viro erudito fides, unde id hauserit, desideratur; & unde advena ille Maximinus Siciliam impetere ausus. Leone sedente ad annum 442. celebris illa controversia inter Alexandrinos, & Occidentales de Paschatis anno 444. celebrandi legitimo die exorta est; quamvis autem super ea Sanctus Pontifex Cyrillum Alexandrinum consuluisset, qui celebrandum die 22. Aprilis juxta Theophili Cyclum respōdit; non tamen Leonis animus plenè

(1) *tom.13. in Aug.*283. [2] *Isag.cap.*36.*n.*6. [3] *Sæc.* 5. *cap.* 3. *art.* 12. §.5. [4] *ad ann.*431.*n.*176. (5) *tom.*14.*super Cyrill. Alex.art.*88. (6) *tom.*13.*in Augustino art.*341.& *tom.*16.*in Eugen.art.*11.

nè quievit, donec in eandem sententiam descendisse comperit Paschasinum Episcopum Lilybætanum, ad quem per Sylanum, seu Sylvanum Panhormitanæ Ecclesiæ Diaconum literas transmisit, quid sentiret, interrogans. Ille autem rem egregiè enodavit data anno 443. sequenti Epistola illa, cujus fragmentum supra exscripsimus, & unius diei errorem, qui irrepserat parvi faciendum consulit, ad graviorem vitandum: *Non ergo unà dies longiùs posita terreat, ne, cum hoc evitamus, incurramus errorem, sicut tempore recordationis Domini mei prædecessoris vestri Zosimi, Consulatu Honorii Aug. XI., & Constantii II. Tunc enim cum declinaretur, ne X. Kal. Maii Pascha teneretur, celebratum est VIII. Kal. Aprilis, idest, pro embolismo communis annus tentus, & error gravissimus est ortus.* Epistolam hanc in R. E. Archivio asservatam, & ab antiquis sæpè produci, testatur Tillemontius (1).

11 Tres ab eodem Pontifice decretales editas, quæ Siciliam cōcernant, ex eodem Tillemontio (2) habemus; primam de Ecclesiastica disciplina, & inter Leoninas prima recensetur, ad universos Episcopos per Campaniam, Picenum, & Thusciam, & per universas Provincias, quarum Metropolis Roma, & inter quas Sicilia, ut meliùs expendemus §. 4., in ea statuitur, ut nullus Episcopus servum alterius ad Officium Clericatus promoveat. Ut quicumque ad Sacerdotium vel viduarum Mariti, vel habentes numerosa Conjugia, promoti fuerint, ab Ecclesiasticis Officiis arceantur. Quòd usuras non solùm Clerici exigere non debeant, sed nec etiam Laici. Ut Clericus nec suo, nec alieno nomine fœnus exerceat. Ut si quis Sacerdotum contra interdicta fecerit, à suo submoveatur Officio. Epistola hæc data die 10. Octobris, falsò autem in margine in operibus S. Leonis consignata anno 445. cum Maximus, & Paterius Consules, qui subscribuntur, sederint anno 443. ut meliùs emendat Tillemontius citatus; & videre est in Pagio (3).

12 Secunda ad universos Siciliæ Episcopos data sub die 21. Octobris pro Baptismi solemnis collatione ad statos dies juxta Apostolicam traditionem revocanda, quæ est quarta in operibus S. Leonis. Hanc Pirrus alibi (4) ad annum 444., alibi (5) ad annum 449. constituit; in utroque tamen falsus, cum anno 447. scriptam fuisse constet ex nota Consulum Alipii, & Ardaburii, qui nonnisi eo anno sedere, ut videre est apud Pagium (6) in fastis Consularibus: ejus tenor, quæ ad historiam attinet, talis.

## LEO EPISCOPUS
### *Universis Episcopis per Siciliam constitutis in Domino salutem.*

*Divinis præceptis, & Apostolicis monitis incitamur, ut pro omniū Ecclesiarum statu impigro vigilemus affectu; ac si quid usquam reprehensioni inveniatur obnoxium, celeri sollicitudine, aut ab ignorantiæ imperitia, aut à præsumptionis usurpatione revocemus..... Cum ergo nobis de charitatis vestræ actibus fraterna affectione sollicito, certis indiciis innotuerit, vos in eo, quod inter Sacramenta Eccle-*

*sia*

(1) *tom.* 15. *in Leone art.* 3. (2) *art.* 4. 21. 97. (3) *Fost. Consul. in fine tom.* 1. (4) *l.* 1. *Not.* 2. *Eccl. Mess.* (5) *l.* 2. *Not. Eccl. Lilyb.* (6) *in fine tom.* 1. *Brev.*

*siæ principale est, ab Apostolicæ institutionis consuetudine discrepare, ita ut Baptismi Sacramentum numerosius in die Epiphaniæ, quàm Paschali tempore celebretis, miror vos, vel præcessores vestros tam irrationabilem novitatem usurpare potuisse, ut confuso temporis utriusque mysterio, nullam esse differentiam crederetis, inter diem, quo adoratus est Christus à Magis, & diem, quo resurrexit à mortuis. Quam culpam nullo modo potuissetis incidere, si unde consecrationis honorem accepistis, inde legem totius observantiæ sumeretis, & B. Petri Apostoli Sedes, quæ vobis Sacerdotalis mater est dignitatis, esset Ecclesiasticæ magistra rationis, à cujus vos regulis recessisse minore posset æquanimitate tolerari, si aliqua commonitionis nostræ increpatio præcessisset. Nunc autem quia non desperatur correctio, mansuetudo servanda est. Et licèt vix ferenda sit in Sacerdotibus excusatio, quæ prætendat inscientiam, maluimus tamen & censuram necessariam temperare, & ratione vos apertissimæ veritatis instruere.*

*Semper equidem in æterno Dei Consilio mansit..... unde quia manifestissimè patet baptizandis in Ecclesia electis, hæc duo tempora, de quibus locuti sumus (Paschæ nempe, & Pentecostes) esse legitima, dilectionem vestram monemus, ut nullos alios dies huic observantiæ misceatis... His itaq; Fratres, tot tantisque existentibus documentis, quibus omni ambiguitate submota, evidenter agnoscitis, in baptizandis electis, qui secundum Apostolicam regulam, & exorcismis scrutandi, & jejuniis sanctificandi, & frequentibus sunt prædicationibus imbuendi, duo tantùm tempora, idest Pascha, & Pentecoste esse servanda. Hoc vestræ indicimus charitati, ut ab Apostolicis institutis nullo alteriùs recedatis excessu, quia inultum post hæc esse non poterit, si quisquam Apostolicas regulas in aliquo crediderit negligendas.*

*Quare illud primitus pro custodia concordissimæ unitatis exigimus, ut, quia saluberrimè à Sanctis Patribus constitutum est, binos in annis singulis Episcoporum debere esse conventus, terni semper ex vobis ad diem tertiam Kal. Octobrium Romam fraterno Concilio sociandi occurrant, & indissimulanter, quod utique laboriosum non est, sivicissim inter vos hæc consuetudo servetur. Quoniam adjuvante gratia Dei faciliùs poterit provideri, ut in Ecclesiis Christi nulla scandala, nulli nascantur errores, cum coram Beatissimo Apostolo Petro semper in commune tractatum fuerit, ut omnia instituta, Canonumque Decreta apud omnes Domini Sacerdotes inviolata permaneant. Hæc autem, quæ vobis inspirante Domino, insinuanda credidimus, per fratres, & Coepiscopos nostros Bachylum, atque Paschasinum ad vestram volumus notitiam pervenire, quibus referentibus cognoscamus, quàm reverenter à vobis Apostolicæ Sedis instituta serventur. Data 12. Kal. Novembris Alipio, & Ardabure VV. CC. Coss.*

13 Mos iste, quem S. Leo reprehendit, Baptismum extra Paschatis, & Pentecostes dies Apostolica consuetudine constitutos solemniter conferendi, non in Sicilia tantùm, sed & in aliis Occidentis Ecclesiis invaluerat. Hispani nedum Epiphaniæ diem, sed & Apostolorum Martyrumque festos dies selegerant, quos objurgat Syricius in Epistola ad Himerium Tarraconensem Episcopum datam anno 385. quæ prima est ex Decretalibus, quas Viri Eruditi genuinas agnoscunt: *Sequitur deinde baptizando-*

*rum*

*rum, prout unicuique libitum fuerit, improbabilis, & emendanda confusio, quæ à nostris Consacerdotibus, quod commoti dicimus, non ratione authoritatis alicuius, sed sola temeritate præsumitur; & passim ac liberè in Natalitiis Christi, seu Apparitionis, necnon & Apostolorum, seu Martyrum festivitatibus, innumeræ, ut asseris, plebes Baptismi Mysterium consequantur; cum hoc sibi privilegium, & apud nos, & apud omnes Ecclesias, dominicum specialiter cum Pentecoste sua Pascha defendat; quibus solis per annum diebus, ad fidem confluentibus generalia Baptismatis tradi convenit Sacramenta:* idem reprehendit ipse S. Leo in Campanis, Samniis, & Picenis, ad quorum Episcopos anno 449. hæc scripsit (1): *Magna indignatione commoveor, & multo dolore contristor, quòd quosdam ex vobis comperi ita esse Apostolicæ traditionis oblitos, & studio sui erroris intentos, ut præter Paschalem festivitatem, cui sola Pentecostes solemnitas comparatur, audeant sibimet, non aliqua humanæ infirmitatis necessitate cogente, sed sola indisciplinati arbitrii libertate, jus Baptismatis vindicare, & in Natalitiis Martyrum regenerationis celebrare Mysteria.*

14 Quamvis autem Apostolicarum traditionum rigidus sectator S. Leo id improbasit, talium nihilominus dierum restrictionem ægrè ferre visus est Divus Augustinus Edmundo Martene (2) apud Pagium (3); scripsit quippe (4) id omni die licere; imò Innocentius ipse, jam ab anno 415. Leonis decessor, in Epistola ad Victricium Episcopum Rothomagensem [5], Levitis, & Sacerdotibus abstinentiam ab uxoribus indixerat: *Ne præteriret dies, quæ vel à Sacrificiis Divinis, vel à Baptismatis Officio vacarent.* Sed severior hæc disciplina, cadente Sæculo quinto, in Occidente relaxari cæpit, unde anno 496. Clodoveus Rex Francorum & Alboflедis soror, baptizati in die Nativitatis Domini, ut patet ex Epistola Aviti Viennensis ad Clodoveum; quem usum in Galliis radices egisse testatur Hincmarus Rhemensis [6], & ad diem S. Joannis Baptistæ, & festa celebriora Martyrum protensus est: & quamvis Concilium Matisconense tertium Can. 3. anno 585. rigidissimè ad solum Paschatis diem Baptismum addixerit, & qui extra baptizati fuissent à Clericali statu repulerit, nihilominus brevi ad antiquam consuetudinem seductos Gallos testatur Natalis Alexander (7): certè in Sicilia sexto Sæculo antiquatum morem hunc testatur S. Gregorius Magnus (8), qui Episcopo cuidam scripsit, ut agri Agrigentini Judæos die Dominico, aut alia celebri festivitate baptizaret. Legendus Pagius (9).

15 Qui Bachylus ille fuerit, quem S. Leo in Epistola Episcopum cum Paschasino recenset, obscurum. Bacchylum secundum Messanensem Episcopum asserit Morabitus (10); cum quo eò facilius sentiendum arbitror, quòd Pirrus [11] ipse in Messanensibus Episcopis à priscis diptychis expūgendis perpetuus, spreta aliquali nominis corruptela, annuerit, & firmare satagat. *Conjecturam fulcit, quòd in aliis Siculis Ecclesiis Syracusanæ partis, per ea*

Leo-

(1) *Ep.* 136. (2) *lib.* 1. *de antiq. Eccl. ritib. c.* 1. *art.* 1. [3] *in Leone n* 43. (4) *serm.* 6. *in quadrag.* (5) *cap.* 9. [6] *in Vit. S. Remigii* (7) *Sæc.* 6. *c.* 5. *art.* 28. (8) *l.* 4. *ep.* 24. (9) *in Anastas.* 2. *l.* 6. (10) *ad an.* 381. (11) *lib.* 1. *Not.* 2. *Eccl. Mess.*

*Leonis tempora alios fuisse Antistites, vel eas suis Præsulibus destitutas sciamus; inde enim fit, Bachylum Messanæ relinqui. Habuerunt Ecclesia Catanensis Domninum; Syracusana Syucium, & post Germanum; Leontina Theodosium Marachonidem; carebat verò Tauromenitana* &c. In id autem non descendit Morabitus (1), quod ibidem innuit Pirrus, nempe ad illos Episcopos Leonem scripsisse, quò faciliùs ad cæteros Apostolica mandata pervenirent. Sentit quippe literas has à Romano Concilio reduces in Siciliam retulisse Paschasinum, & Bachylum; cui sanè suffragatur, quòd extra inculcatæ Baptismi disciplinæ propositum, S. Leo in calce Epistolæ subdit de tribus Episcopis è Sicilia in annos singulos Romam mittendis; & mox mandata per Paschasinum, & Bachylum transmisisse scribit. Morabito consentit Tillemont. (2), & certè omnes has tres Epistolas ex diebus, quibus consignantur, ideft 10. 21. & 22. Octobris, post celebratas Romæ Synodos die 29. Septembris, in Synodo datas arguere omnino convenit; eò vel maximè quod tertia, quam mox adducemus, expressè Synodi mentionem faciat.

16 Hic obiter celebranda Sancti Pontificis moderatio, qui cum ex præcepto Nicænæ Synodi Can. 5., cui parendum dixerat, bini deberent quolibet anno Episcoporum conventus celebrari, Siculorum incommodis prospiciens, ne frequentiùs maris transmeandi cogerentur subire discrimina, Siciliam inter remotas Provincias accensuit, & semel tantùm, imò alternata inter eos vice Romam convenire præstituit. Legendi super his Pagius (3), & Baronius (4), & nos latiùs infra, §. 4. de Ecclesiastica Politia.

17 Tertia refertur in tomo primo Bullarii Cherubini data die 22. Octobris ejusdem anni 447. pro Ecclesiarum bonis non alienandis, & tenor talis est:

## LEO PAPA

### *Universis Episcopis per Siciliam constitutis in Domino salutem.*

*Occasio specialium querelarum, curam nobis providentiæ generalis indicit, ut quòd in duabus Provinciæ vestræ Ecclesiis improbè gestum, injustèque præsumptum est, id constitutione perpetua ab omni episcoporū usurpatione resecemus. Tauromenitanis enim Clericis deplorantibus Ecclesiæ nuditatem, eò quod omnia ejus prædia vendendo, & diversis modis alienando, Episcopus dissiparet, & Panhormitani Clerici, quibus nuper est ordinatus Antistes, similem querimoniam in Sancta Synodo, cui præsidebamus, de usurpatione prioris Episcopi causam detulerunt. Quamvis ergo ordinatum à nobis sit, quemadmodum utriusque Ecclesiæ utilitatibus consulatur, ne tamen hoc perniciosum nequissimæ deprædationis exemplum cuiquā posthac fiat imitabile; hanc præcepti nostri formam apud dilectionem vestrā volumus esse perpetuam, qua sine exceptione decernimus, ut ne quis Episcopus de Ecclesiæ suæ rebus audeat quidquam vel donare, vel commutare, vel vendere. Nisi fortè ita aliquid horum faciat, ut meliora prospiciat, & cum totius Cleri tractatu, atque consensu id eligat, quod non sit dubium Ecclesiæ profuturum. Nam Presbyteri,*

(1) *ad ann.* 447. (2) *tom.* 15. *in Leon. art.* 21. & 97. (3) *in Hilar. n.* 4. (4) *ad ann.* 447.

*ri, vel Diaconi, aut cujuscumque ordinis Clerici, qui conniventiam in Ecclesiæ damna miscuerint, sciant se ordine, & communione privandos, quia plenum justitiæ est, fratres charissimi, ut non solùm Episcopi, sed etiam totius Cleri studio Ecclesiæ utilitati incrementa serventur; & eorum munera illibata permaneant, quæ pro animarum suarum salute fideles de propria substantia Ecclesiis contulerunt. Dat. 11. Kal. Nov. Alipio V. C. Coss.* Hanc meliùs expendemus §.4.

18 Anno 450. ante Chalcedonensis Synodi celebrationem, cum S. Leo novam cum Alexandrinis controversiam pro Paschatis anno 455. celebrandi die prævideret, quam illi Theophilum secuti, die 24. Aprilis constituerant, quod Latinis invisum, qui non ultra diem 23. Pascha protendi arbitrabantur, iterum consuluit Paschasinum: quid iste retulerit, ignotum; cum monumentum nullum supersit; credendum, quòd pro Alexandrinis steterit, cum passim etiam Latini Pascha die 24. celebrassent: legendus citatus Tillemont. (1).

19 Sub Leone P. anno 451. congregata contra Eutychetis hæresim Oecumenica Chalcedonensis Synodus, cui Romanæ Sedis vice Paschasinus Episcopus Lilybætanus cum 2. aliis Legatis præfuit, & ita subscripsisse legitur actione 6.: *Paschasinus Episcopus Vicarius Dñi mei, atq; universalis Ecclesię Episcopi Urbis Romæ Leonis Synodo Pręsidens, statui, consensi, & subscripsi.* Gratianum Episcopum Panhormitanum interfuisse tradit Pirrus [2], Joannem Episcopum Messanensem Morabitus (3), de quibus §. 4. operosiùs disserendum. In hoc Concilio notat Eruditissimus Natalis Alexander[4] primum monumentum reperiri Ecclesiasticarum pensionum, quæ Bassiano, & Stephano depositis Ephesi Episcopis constitutæ aureorum solidorum 200. in annos singulos, ejusdem Ecclesiæ sumptibus; id tamen paupertatis titulo, seu, ut loquitur Synodus, nutrimenti gratia, & consolationis, concessum.

20 Anno 461. Leone Magno defuncto ordinatus est Hilarus Sardus, quo sedente S. Fulgentius Ruspēsis Episcopus Syracusas venit, ut legere est apud Surium (5), cumq; in Ægyptum, ab Ecclesiæ Romanæ institutis tunc divulsam, solitariæ vitæ studio contenderet, revocatus à consilio est verbis Eulalii viri Sāctissimi Syracusarum Episcopi: *Ego etiam quondam juvenis, antequam me Pontificalis honoris gratia pręveniret indignum, diu cogitavi Sanctissimæ hujus professionis in ipsius Provinciæ Monasteriis adimplere propositum; sed hæc causa me prohibuit assumpta perficere* &c. Hinc Siciliæ Africana Ecclesia Fulgentium debet: legendus Caietanus (6), & Pirrus (7). Post Hilarum suffectus in Petri Sede Simplicius Tiburtinus anno 468.; & post ejus depositionem anno 483. Felix III., qui anno sequenti Romæ Synodum congregavit Episcoporum 67. quos inter Justinus Siculus sedit, sive Justinianus. Hunc Morabitus Messanēsibus Episcopis accenset [8], Panhormitanis Pirrus (9), Natalis verò Alexander [10], fictitium omnino hominem hujusmodi reputat. De quo latiùs §. 4.

21 Scriptæ ab hoc Pontifice

T De-

(1) *tom.15.in Leon.art.*149. (2) *Not.1.Eccl.Pan.* (3) *ad ann.*451. (4) *Sęc.5 c.3.art.3.§.17.* (5) *tom.1.de S.Fulgent.* (6) *Isag.c.*56. (7) *Pir.l.3.Not.2. Eccl. Syr.* (8) *ad ann.*482. [9] *Not.1.Eccl.Pan.* (10) *Sęc.5.c.3.art.17.*

Decretalis Epistolæ ad Episcopos Siciliæ monumentum habemus apud Tillemontium (1); cum enim post Hunnerici persecutionem, lapsis Catholicis, qui ab Arianis rebaptizati fuerant, remedium in Concilio Romano anno 487. quæreretur, Epistolam septimam Felix anno sequenti transmisit, quam in Concilio dederat, in qua congrua pœnitentia constituitur, quam legere est apud Pagium (2). Hanc ad Africanos Episcopos directam docet Baronius [3]: sed certè quamvis Africanos res concernat, ad omnes Episcopos in titulo inscripta legitur. Verosimiliùs ad Episcopos Italos, & Provinciarum, quæ Romanæ Metropoli subdebantur, datam nihilominus in M. S. quodam ad Episcopos Siciliæ expressè directam testatur citatus Tillemontius.

22 Felice sedente Epistolam scripsisse circumfertur Justinus, vel Justinianus Siculæ Episcopus ad Petrum Cnapheum, vulgo Fullonem, in Sede Antiochena pridem intrusum, qui Sacro Trisagio, *Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus & Immortalis*, illud addi voluerat, *qui passus est pro nobis*: unde Theopaschitarum error inducebatur. Epistolæ autem tenor ex editione Conciliorum talis est:

## *Epistola Justiniani Episcopi Siciliæ ad eundem Petrum.*

*Quoniam non oportet additionem Crucis esse in Trisagio, ut non inducat duos Filios.*

*Oportet militem armari contra bellantes, & athletam contrastantibus obsistere. Luctatio autem nostra non est carnalis, neque luctatio corporis unctionibus fit, neque quis vacans à luctatione coronam habebit Deitatis, si neglexerit reprehendendis non anteponere luctationem veritatis. Si enim quis certat, non coronatur, nisi legitimè certaverit, & arma nostra non sunt carnalia, sed potentia Deo ad demolitionem munimentorum, cogitationes destruentia, & omnem altitudinem contra scientiam Dei elevatam: quare tamquam fratrem incito hac monitione, quoniam bonum est Patribus obedire, & detrahere proprias novitates? Obedias amicabiliter, charissime, & argumentis non addas Trisagio duos filios, sed crede Seraphim, Trinitatem similiter glorificando, & non præter hæc addes languescere, vanagloria pessimum sophisma faciendo, Crucem in hymno ponens multisque factus cæcus. Quid ergò oculos rusticorum idiotarum effodis, insculpens impiorum impietates? Quid Manium, & Valentinum, & Eutychen armas ad dicendum divinum passibile, & magis Paulum Samosatenum, & Nestorium, propterea quod in Trisagio addis quaternitatem? Quia quodcumque te vertas, quod impium est, intellectum pietatis habere non potest, sed plurimarum hæresum formas ostendit. Arrius enim Filium diminuebat, & Eutyches similiter, propter quod & passionem addebant Divinæ Naturæ Filii, ideò non dicebant Filium Homousion, idest, consubstantialem, sicut Eunomius. Si enim jam apud ipsos Pater impassibilis est, Filius autem Divinitate passibilis, quomodò consubstantialis est? Macedonius autem spirat à Patre solo Spiritum Sanctum, & Nestorius similiter dividit unum Filium in dualitate filiorum, & impossibile est (sicut tu dicis) in Tri-*

(1) *tom.* 16. *in Eugen. art.* 43. (2) *in Felic. n.* 10. (3) *ad ann.* 487. *n.* 6.

*Trisagio quaternitatem dicere crucifixum, impiè addens post confessionem Trinitatis. Cessa igitur ab hujusmodi tua impia præcipitatione, non addas scandalum scandalo, & non eris causa perditionis magis simplicium hominum, ne Præsidens noster Felix secundùm Canones sententiam dicat contra te, & non juvabit te dicere, ego utiliter hoc opposui Crucifixum in Trisagio confiteri. Tolle iniquitatem de universo, ne hæc citò multiplicetur, quoniam impiũ facilè susceptibile est, melius autem non. Suscipe ergo tanquam fratris tui admonitionem, extingue hæreticorum consperssionem, & fias pastor ovilis, & non lupus, & sequutus Beatum Procium, & ipsius revelationem, in campo ti moribus existentibus deprecativè dicas Trisagium ad pausationem iræ, & ne incites adhuc iram Fortis. Si autem non velis tu, Fraternitas mea innocens erit, & ego cum ipsis, & qui unà mecum de his tibi scripserunt custodiemus nos ipsos ab scandalis. Didicisti ab Esaia dicere, Sanctus, Sanctus, Sanctus, (Non Crucifixum (inquit) illi dicere, sed dicis. Tunc Filius non erat Crucifixus, & propter hoc non addidit tunc Crucifixum. Qui ergo nunc Seraphim in Trisagio addiderunt Crucifixum, quid tu dicis? etsi dicis, non puto; etsi nescis, quomodò non impius es? Etenim & tunc. inquit Propheta, passiones carnis Verbi, & apertè confitetur Trisagium. Propterea quomodò & dicis suscepta fuit Synodus Chalcedonen: & tamen absolutè, sicut ipsa tradidit, tu non prædicas Trisagium, sed inobedis illi, & non timuisti ipsam dicentem, Qui non sapit sic, anathema sit. Salubriter prędica, vel dic, & sanus eris; si autem non, non solus hauries mala. &c.*

Epistolam hanc, & alias commonitorias ad Fullonem supposititias reputat Valesius apud Natalem Alexandrum (1) ob styli ruditatem, & in omnibus eandem; ob conficta Præsulum, quæ nullibi recensita leguntur, nomina; ob inverisimilitudinem, quòd modicarum Civitatum Episcopi Antiochenæ Ecclesiæ Præsulem reprehenderent. In idem propendet Tillemontius (2) rationum efficacia convictus, & parachronismum denuo addit; unde ante nonum Sæculum confictas putat, cum ab Hincmaro citentur. Sed certè sive Panhormitanus, sive Messanensis Episcopus Justinus, non adeo modicæ Civitates, ut Antiochenum reprehendere erubescerent; nec pietate, ac doctrina insignes Viros longè dissita Regio deterrere debuerant, quin pro aris, & focis starent; sed de his §. 4.

23 Anno Christi 492. Felice è vivis sublato subrogatus Gelasius Afer., cujus duæ circumferuntur Decretales, quæ res Siculas concernunt; alia, quæ est in ordine nona, ad Episcopos per Lucaniam, Brutios, & Siciliam constitutos (3) pro collapsa Ecclesiastica disciplina restauranda; & die 11. Martii, ac ut constat ex nota Consulum, anno 494., consignata, in ea Cap. Si statutum quod: *Baptizandis, consignandisque fidelibus Sacerdotes pretia nulla præfigant, nec illationibus quibuslibet impositis exagitare cupiant renascentes.* cap. 12. inculcata disciplina de Baptismo in Paschate solùm, & in Pentecoste solemniter conferendo. cap. 13. quatuor anni tempora pro sacris ordinationibus, tunc primò quantùm ex monumentis Ecclesiasticis constat, statuta, ut eruditè probat Pagius [4] cap. ultimo



(1) *Sec. 5. c. 3. art. 17.* (2) *tom. 16. in Acac. art. 49.* (3) *Nat. Alex. Sec. 5. cap. 2. art. 10. §. 12.* (4) *in Simplic. & Gelas. & Leone II. Nat. Alex. loc. cit.*

mo Ecclesiæ redditus, & Fidelium oblationes in partes quatuor dividendas constituit, quarum una Præsulibus, cæteræ Clericis pauperibus, & Ecclesiæ fabricis applicanda. De quibus specialem mentionem iniicimus, quia speciali observatione digna.

24 Alia data est eodem anno, die 15. Maji ad Siculos Episcopos, cujus tenor talis est:

*Gelasius Romanæ Ecclesiæ Episcopus dilectissimis, & in Christi Charitate unanimiter connexis Fratribus Episcopis, qui in Sicilia sunt constituti.*

*PRæsulum authoritas nostrorum emanavit, ut facultates Ecclesiæ Episcopi ad regendum habeant potestatem; ita tamen, ut viduarum, pupillorum, atque pauperum, necnon & Ecclesiasticorum stipendia distribuere debeant; hoc etiam eis statuimus dari, quod hactenus decretum est. Reliquum sibi Episcopi vindicent; ut, sicut antediximus, peregrinorum, atque captivorum largitores esse possint.*

*Illud etiam annecti placuit, ut si, quod absit, facultates Ecclesiæ, necnon & Diœceses, quæ ob aliquibus possidentur Episcopis, jure sibi vindicent, quod Tricennalis lex conclusit; quia & Filiorum nostrorum Principum ita emanavit authoritas, ut ultra 30. annos nulli liceat pro eo appellare; quia legum tempus exclusit. Dat. Idib. Maji Asterio, & Præsidio VV. Cl. Coss.*

25 Anno Christi 496. Gelasio supremum diem obeunte ordinatus in Romana Ecclesia Anastasius II. Romanus, quem anno 498. Symmachus Sardus excepit, qui Sæculi occasum vidit. Ante ejus lapsum tamen Synodum Romanam anno 499. primam celebravit, in cujus Actis Siculorum neminem subscriptum legimus, nisi Gaudentium quendam Tyndarinensem (1); unde suspicio suborta, quòd in Ecclesia Sicula Tyndaritana sederit, quæ in eo offendit, quòd in tertia Synodo anno 501. Severinus Tyndaritanus subscribat; nisi eo defuncto hunc suffectum dicamus. Anno sequenti, & Sæculi postremo Synodum secundam Romæ habuit, cujus Acta ad nos non pervenisse docet Pagius (2). Hoc eodem anno inter Episcopos, quos Vandalica persecutio Africa facessere coegit, quorum 28. enumerat Victor Uticensis, Rufinianus quidam Byzacenæ Episcopus legitur, qui in parva Insula ex adjacentibus Siciliæ [quænam, ignotum] asylum invenit, ubi S. Fulgentium consolatorem habuit, qui ad eum invisendum accessit; de quo legendus Tillemontius (3).

ECCLE-

(1) Editio. Conc. Labb. tom. 4. (2) in Symmac. (3) tom. 16. in Eugen. art. 32.

## §. II.

## ECCLESIÆ SICULÆ PERSECUTIONES.

1 NON ab hostibus, sed à filiis Sæculo quinto angustias passa est Mater Ecclesia: excussis quippe post Constantinum Ethnicis Imperatoribus, quorum mens Christi fidem radicitus extirpare, Ariani insurrexere, qui purissimos Catholicæ doctrinæ latices conspurcare contenderent. Inter hos acerrimus Gensericus Rex Vandalorum ab anno 417. Africa occupata, Episcopos, & Clerum, honoratioresque Cives frustra tentatos in Arii partes trahere desperans, immaniter persecutus est; fractis navibus impositos expulit, bonis omnibus spoliatos in exilium egit, aut servituti addixit, nec a sanguine pepercit. Hunnericus filius anno 476. paternæ impietatis supra modum æmulator, etiam in domesticos dirè debacchatus, persecutionem atrocius instauravit; & ex Cleri ordine *Episcopos Presbyteros, Diaconos, & alia Ecclesiæ membra, idest 4966. in exilium eremi deportari jussit*, ut loquitur Victor Uticensis (1). Ab anno 484. sub Gundabundo nepote, ac successore paululum quiescere visa desolatio; cum anno 495. sub Thrasamundo fratre fortiùs, quò leviùs instaurata; seducti namque Catholici præmiis potiùs, quàm terroribus; quamvis constantioribus in fidei Confessione supplicia non defuerint. Legendi Victor Uticensis, Prosper, Marcellinus, & alii apud Natalem ab Alexandro [2].

2 Iisdem ergo temporibus ob Vandalorum irruptiones in Siciliam, adhuc Sicula Ecclesia quassata persecutione est, & plures sub ea Martyrio coronatos ex Victore Uticensi (3) docet P. Cajetanus (4), & Victor Uticensis (5) post celebratam Orthodoxorum Heroum in Africa constantiam subdit: *Quæ autem in Hispania, Italia, Dalmatia, Calabria, Apulia, Sicilia, Sardinia, Brutiis, Lucania, Epyro, vel Hellade gesserit*, Gensericus, *meliùs ibi ipsi, quæ passi sunt, miserabiliter lugenda narrabunt*. Scriptorum tamen ævi illius inopia culpanda, aut Sæculi incuriosi desidia, vel posteræ Barbarorum excursiones, quæ Siculorum Martyrum trophæa ab hominũ memoria excusserint. Anno igitur circiter 440. cum primò Gensericus Siciliam tentasset, ea occasione excitata persecutio refertur à Tillemontio (6), Fleury [7], Invegio [8], Morabito [9], & aliis post Idacium (10) ejusdem Sæculi Scriptorem, Prosperum (11), & Cassiodorum (12), quòd cum Maximinus Arianorum Antesignanus, de quo §. præcedenti, in Siciliam descendens Catholicos homines ad Arianas partes inclinare conaretur, Episcopi Siculi congregata Synodo pestem illam à finibus suis expulerunt;

(1) *de Persec. Vandal. ap. Pagium in Felic.* 3. *n.* 9. (2) *Sæc.* 5. *c.* 1. (3) *cit. ap. Baron. ad an.* 456. (4) *Isag. c.* 26. (5) *de Bello Vandal. l.* 1. [6] *tit* 16. *in Eugen. art.* 11. [7] *tit.* 6. *l.* 26. *n.* 56. (8) *Pan. Sac. ad an.* 443. (9) *Annal. Mess. ad ann.* 439. (10) *in Chronic. an.* 16. *Valentin.* (11) *in Chronic. an.* 440. (12) *ibid.*

runt; eoque apud Arianum Regem de injuria expostulante, in furorem actus Gensericus ad Arianismum Fideles cunctos compellere decrevit, minis, exilio, clade: verba Idacii sunt; *Gensericus Siciliam depraedatus, Panhormum diù obsedit, qui damnati à Catholicis Episcopis Maximini apud Siciliam Arianorum Ducis, adversùs Catholicos praecipitatur instinctu, ut eos quoquo pacto in impietatem cogeret Arianam*. Nonnullis declinantibus, aliqui durantes in Catholica Fide consummavere Martyrium.

3 Morabitus nihilominus, non in Sicilia passos, sed in Africam deportatos, ibique aut maceratos exilio, aut supremo supplicio affectos, docuit; quod sanè Siculae Historiae monumentis conformius. Inter hos accenset Mongitorius (1) Mamilianum Confessorem Panhormitanum Episcopum cum Sociis, in cujus sententiam una Panhormitanae Ecclesiae traditione, & cultu trahor: nec alium praeter hunc, Martyrem sub Ethnicis Principibus cum Josepho Vincentio Marascia (2) facilè admitto, ut supra Saeculo 3. innui. An autem ipse ille idem sit, cujus Acta ex Ecclesiae Spoletanae Tabulario retulit Marascia, & Sentio Presbytero sociatus legitur, mihi ambiguum. Certè nullatenus placuit Tillemontio (3), qui Historiam illam authoritatis pondere destitutam, & infarctam miraculis sine verosimilitudine agnovit; imò Sentii reliquias, quas Spoletani in Ecclesia Discalceatorum Augustinensium venerantur, distorto vocabulo esse suspicatur Vincentii cujusdam Martyris Maevaniensis, quae Civitas non longè à Spoleto dissita. Mamilianum quidem illum, & Sentium ab oris Italiae, Campaniae, aut Thusciae, quas Gensericus depopulatus est, abductos Historia refert; Italicarum autem Provinciarum nomina perperam, & necessitate nulla coactus ad Siciliam prodnxit Inveges. Crediderim potiùs è Sicilia abductum Mamilianum alium Episcopum, & Socios quam plures, quos inter non sine exemplo asportata etiam Nympha, cum post annos in alia incursione deportata Oliva abductarum Virginum monumentum exhibeat.

4 An eodem hoc anno in captivitatem Vandalicam inciderit Paschasinus Episcopus Lilybaetanus, an in sequentibus circa annum 454. dijudicent Scriptores. Siculi cum Baronio (4) ad posteriora tempora referunt; imò P. Cajetanus (5) subdubitare se afferit, an captivitatem caede consignarit. Tillemontius (6), tamen, & Fleury (7) hoc anno constituunt, quod quidem mihi indubium; anno siquidem 442. è S. Leone consultus Paschasinus de celebrando Paschate anno 444. à Silano Diacono Panhormitano literas hujusmodi se recepisse fatetur Epistola, quae post 63. S. Leonis legitur, & simul de solatio captivitatis suae, & nuditatis remedio, quod attulerat, expressè meminit; hoc quippe Epistolae initium, *Apostolatus vestri scripta, Silano Diacono Panhormitanae Ecclesiae deferente, percepi; quae nuditati meae, atque aerumnis, quas amarissima captivitate faciente incurri, solatium in omnibus, atque remedium attulerunt, caelesti rore animum re-*

(1) *in Vit.* (2) *Resol. Histor. de Mamilia. p. 2.* (3) *tom.* 16. *in Eugen. art.* 14. (4) *ad ann.* 454. (5) *Isag. cap.* 36. (6) *tom.* 15. *in Leon. art.* 5. *&* 97. (7) *tom.* 6. *lib.* 26. *n.* 56.

*recreantes, atque omne, quod triste fuerat, abstergentes. Domine Venerabilis Papa, jubere dignata est Corona vestra, ut quod Paschalis supputatione veritas anni post hunc futuri haberet, sacrosanctis auribus vestris exiguitas mea intimaret.* Ipsum autem anno 443. rescripsisse §. præcedenti ostendimus; hinc anno circiter 440. in prima Vandalorum incursione captivum adstruere oportet; nec post celebratum Chalcedonense Concilium, cui præfuit, captivitatis hujusmodi monumentum ullum historiæ series exhibuit, aut citra parachronismum exhibere potuit.

5 Anno 454. iterum Genserico Siciliam invadente, & latiùs depopulante afflictam Siculam Ecclesiam à Viro Ariano credimus, quamvis unius Olivæ Virginis Panhormitanæ memoria supersit, quæ Martyrium fecerit. Hanc P. Cajetanus (1) à Saracenis post 9. Sæculum Tunetum in Africa deportatam credibile autumat, sed communiter sub Genserico, prout scribit Bernardus Riera (2). Drepanitanus in M. S. Codice, qui in Bibliotheca Panhormitana Soc. Jesu asservatur: *Vandali Panhormum discurrendo Olivam Virginem Panhormitanam secum in Africam reportaverunt, & propter fidem Martyrio affecerunt.* Ea genere nobilis, & annos tredecim nata abducta fertur; in Africa autem curati claudi, & lucis cæco restitutæ prodigiis famosa, in Eremum deportata; unde post octennium revocata, post equuleum, & faces constanti animo superatas capite minuitur. Corpus à fidelibus Panhormum relatum, ignota ætate, ac tumuli locus obscurus; quamvis Animadversor in Vitam apud P. Cajetanum, signis, & apparitionibus frequentibus intra ambitum Conventus PP. Minimorum prope Mœnia jacere evincat. Festus dies 10. Junii consignatus. Legendi Pirrus (3), Inveges [4], Ferrarius (5), &c.

6 Anno 484. Hunnerico adhuc Vandalicam rem obtinente, iterum in Africa excitata contra Catholicos persecutio; *Quorum ingens numerus*, inquit ex Victore Baronius (6), *ne fidem perderet, militiam temporalem abjecit. Quos postea domibus projectos, omnique substantia spoliatos in Insulam Siciliam, & Sardiniam relegavit.* Tunc igitur Sanctorum Confessorum saltem incolatu, & contubernio beata Sicilia. Ad hæc tempora plures referunt quæsitum à Rufiniano Byzacenæ Episcopo, quem §. præcedenti memoravimus, fidei causa extorre, refugium in parva quadam Insula Siciliæ contermina. Hanc faciliùs existimarim Ægusam, Phorbantiam, vel Hieram, ævo nostro *Pavagnana*, *Levanzo*, *Maretamo*, quàm aliam quamcunque: refert quippe Fleury (7) Fulgentium, veniâ ab Eulalio Syracusano Episcopo impetrata, post hyemale tempus, excedentem, Siciliam transgressum, quò Rufinianum conveniret, & de Monastica vita in Ægyptum seligenda consuleret. Profectò si Cosyram, vulgo *Pantalarea*, aut Melitam incoluisset Rufinianus, rectâ navi contendere oportuerat Fulgentium, non autem per Siciliam in transversum agi: id terrestri itinere confici iis, qui Siciliæ situm noverint, comper-

(1) *in Vit. SS. Sicul. tom. 2.* (2) *de orig. hæres. lib. 5.* (3) *ad an. 441.* (4) *Not. 1. Eccl. Pan.* (5) *in Catal. SS. Italor.* (6) *ad ann. 483.* (7) *tom. 7. lib. 30. n. 59.*

pertum, quò Insulas illas Lilybætanæ oræ è regione oppositas,& Siciliæ penè finitimas teneret,in quibus Rufinianus degeret. Tillemontius [1] Rufiniani fugam ex Africa, & cum Fulgentio colloquium, ad calcem 5. Sæculi constituit. Id sanè non inverisimile. Cur enim Episcopus ab Hunnerico ad Sæculi finem, per annos ultra quindecim profugus, Insulam illam incoleret, nec de sua Sede, nec de plebis salute sollicitus? Id porro radices agere est, non asylum quærere.

7 Temporibus etiam regnantis Thrasamundi, & cadentis Sæculi addicit Tillemontius citatus (2) fugam ex Africa in Campaniam S. Castrensis, ubi Capuanus Episcopus ordinatus. Hujus Corpus integrum, si caput demas, anno 1180. sub VVillelmo II. Siciliæ Rege ad Ecclesiam Monteregalensem translatum festiva populi celebritate colitur; depositionis quidem dies 11. Februarii; translationis verò Dominica 2. mensis Maji.

(1) *tit.16.in Eugen.art.32.* (2) *lib.1.art.49.*

## §. III.

## *QUINAM SANCTITATE, ET DOCTRINA FLORUERINT IN SICILIA.*

1 ARcadio Imperante, & Sæculo 5. reponendi sunt Philippus Presbyter, vulgo à diuturno incolatu Agyrensis dictus, ac Eusebius Monachus ex Oriente in Siciliam advenæ; & Philippus Junior Panhormitanus Diaconus. Sunt qui Philippum Presbyterum ad Neronis tempora revocent, quos latè dissertatione speciali expungendos ducimus. Certè à Romano Pontifice,quisquis ille fuerit, in Siciliam missus est prædicare verbum, & obsistentes spectris variis Dæmones abigere: inde Messanam primò venit, ac in Templo S. Mariæ de Latina à Fratribus benignè exceptus,mox in specum quandam tribus ferè passuū millibus ab Urbe dissitam, se recepit; unde Agyrium concessit, frequentibus signis, Domino cooperante,gloriosus. In expellendis Dæmonibus præsertim celeber; eos quippe undique per Siciliam exegisse traditur.Demum pro Christo assumptis laboribus fractus, & ætate longæva obdormivit in Domino, adhuc è tumulo usque nunc Dæmonibus formidandus.

2 Eusebius ex iisdem Actis Philippi, ejus Vitæ, & peregrinationum comes describitur, Syriacè, & Latinè eruditus. Unde autem occasionem dubitandi eruerit P. Cajetanus (1), Syrus ne, an Italus fuerit, non video. Syri adolescentis comes, & in Christo pædagogus, è Syria Romam navigans, Syrus profectò putandus. Cum Philippo pro Dæmonibus ab Ætnæ Sede repellendis, preces conjunxisse dicitur, & eos per Montis rupes lapidum instar in præceps provolvi vidisse. Ipsi vita functo ædem, & tumulum à Be-

(1) *in Vit.SS.Sicul.*

à Belisario quodam exstructam Philippi sepulchro adjacentem ex Historia habemus.

3 Philippus Panhormitanus, vulgo Diaconus, parentibus à Deo Agyrensis precibus concessus fertur; hinc è puerilibus annis à Philippo sanctè educatus est; dein Panhormum transmissus, quò ab Urbis Episcopo Sacros ordines susciperet. Unam ex ejus Tunicis, Sudarium, & Cingulum dono accepit, quibus & in itinere, ac in patria curati ægri, Sanctitatem Philippi Magistri, ac Alumni merita testati sunt. In pace quiescens Agyrii tumulatus, cum Philippo, & Eusebio, eodem die ad 4. Idus Maji festiva celebritate colitur.

4 Paschasinum Lilybætanum Civem, & Episcopum nedum pietate pollentem captivitas, quam ab Arianis pertulit, comprobat; sed & doctrina insignem fuisse evincit demandatum ipsi à S. Leone in Chalcedonensi Synodo Apostolici Legati munus; quod sanè in Catholica doctrina inter primos eruditum, ac in agendis prudentiam præsefert. Ejus in fide constantiam S. Leo innuit ad Marcianum Augustum (1) scribens se ideò Paschasinum Lilybætanum prælegisse, qui vices suas in Concilio subiret, quia cæteros contra falsitatis conatus infirmiores noverit. *Quia verò quidam de fratribus, quod non sine dolore dicimus, contra turbines falsitatis non valuere Catholicam tenere constantiam, prædictum fratrem, & Coepiscopum meum,* Paschasinum, *vice mea Synodo convenit præsidere. Certus sum enim, quòd sine odio, & gratia ibidem ab his, quibus hoc commisimus, laboretur; ut cum solius hæreticæ impietatis excidio in omnibus Ecclesiis Dei veritas regnet, & charitas.* Ipsum Linguæ Græcæ peritū asserit Tillemontius (2), qui pluries etiam alibi (3) ejus præconia celebrat. De ipso legendi Bellarminus (4), Isidorus (5), Dupin (6), Cajetanus (7), Pirrus (8), & Mongitorius (9), qui, unde eruerit, nescio Paschasinum alium, qui Martyrium fecerit sub Genserico anno 437. cum unum istum ad eadem tempora persecutionem passum legamus, & in Concilio Legatum.

5 Justinus præterea, sive Justinianus Siciliæ Episcopus, temporibus Felicis Papæ III. ex monumentis, quæ superstant, & assumpta contra Petrum Fullonem provincia doctrina claruisse evincitur: quamvis enim Valesius (10), & alii supposititiam censeant Epistolam, quæ sub ejus nomine circumfertur, tamen ipsam tanquam genuinam vindicant alii Viri Eruditi, quos sequitur Gullielmus Cave (11), Justino etiam Joannes Mollerus (12), & alii adjudicant opus quæstionum 146. responsionum ad Orthodoxos quod olim Justino Martyri adscriptum, & à quo recentiores Critici ablegant, cum in iis mentio incidat Origenis, & Irenæi ævi posterioris Scriptorum, de quo legendus Mongitorius (13).

6 Sanctitate item & doctrina æquè conspicuus hoc Sæculo Syracusiam Sedem obtinuit Eulalius, hujus nominis secundus, cujus sancti-

V

(1) *ep.*49. [2] *tom.*15.*in Leon.art.*97. (3) *loc. cit. art.* 103. *& in Theodoret.* [4] *tom.*2.*contr.lib.*3.*cap.*12. (5) *Suppl.Catha.D.Hier.de vir.illust.* (6) *to.* 4. *Bibliot.auth.Eccl.* (7) *Isag.c.*26.*&* 36. (8) *l.*2.*Not.*4.*Eccl.Lilyb.* (9) *in Bibliot.Sicul.* [10] *Diss.in Petro Fullon. c.* 4. (11) *Hist. Lit. Script. Eccl.* (12) *de Script.homon.c.*5.*n.*47. (13) *Bibliot.Sicul.*

ctimonia verbis hujusmodi à Baronio (1) celebratur: *Eulalius Syracusanus Antistes, haud silentio prætereundus, utpote & ipse egregia sanctitate conspicuus*; ejusmodi enim elogio commendatur in rebus gestis S. Fulgentii Ruspensis Episcopi (2): *Eulalius Vir eximiæ sanctitatis, in cujus corde thesaurus Sapientiæ spiritualis absconditus multos talentorum Dominicorum negotiatione ditabat. Virtute enim discretionis super omnia decoratus Monachorum professionem singulariter diligebat; habens etiam ipse Monasterium proprium, cui semper adhærebat, quoties ab Actibus Ecclesiasticis vacabat.* De eo legendus Pirrus (3), & Cajetanus (4).

7 Ecclesiasticæ item disciplinæ peritiam, & observantiæ zelum in Concilio Romano Tertio sub Symmacho ostendit; cum enim Basilius Præfectus, Petri Sede vacante ob Simplicii mortem, Decreta de bonis Ecclesiæ non alienandis edidisset, ea pro zelo quidem facta, sed rescindenda, quia Ecclesiastica authoritate destituta, conclamavit Eulalius, & in partes suas Patres traxit. Ipsius votum ex Actis Synodi c. 12. refert Baronius (5). *Scriptura, quæ in Sacerdotali Concilio recitata est, evidentissimis documentis constat invalida; primum quia contra Patrum regulas à Laicis, quamvis religiosis, quibus nulla de Ecclesiasticis facultatibus aliquid disponendi legitur unquam attributa facultas, facta videtur. Deinde quia nullius Præsulis Apostolicæ Sedis subscriptione firmata docetur. Quòd si cujuslibet Provinciæ Sacerdotes intra terminos suos Concilio habito, quidquam sine Metropolitani, suique Antistitis authoritate tentaverint, irritum esse debere Patres Sancti sanxerunt: quanto magis, quod in Apostolica Sede non extante Præsule, qui prærogativa Beati meritis Apostoli Petri per Universum Orbem Primatum obtinens Sacerdotii, statutis Synodalibus consuevit tribuere firmitatem, à Laicis licèt consentientibus aliquantis Episcopis, (qui tamen Pontifici, à quo consecrari probantur, præjudicium inferre non poterant) præsumptum fuisse cognoscitur, viribus carere non dubium est; nec posse inter Ecclesiastica ullo modo statuta censeri?* legendus Fleury (6).

8 Celeberrimis doctrina, & morum innocentia præstantibus Viris hoc ævo accensenda Elpis uxor Severini Boetii, qui sub Theodorico Rege Ariano Martyrium consummavit. Ipsam Siculam fuisse omnibus in confesso est; & Epitaphium Ticinensi ejus sepulcro inscriptum clarè testatur;

*Elpis dicta fui, Siculæ regionis alumna,*
*Quam procul à Patria Conjugis egit amor*

&c. Largis eam præconiis extollunt Scriptores. Doctissimam vocant Gyraldus (7), & Bertius; Eruditissimam Petrus de Natalibus; Græcarum literarum peritia celebrat Anselmus Tansus (8). Cestè carminibus pangendis insignem testatur Vallinus (9): *Ea autem Elpis dotibus animi, longè corporis, fortunæq; bona superavit; scripsit enim versus emendatissimos, scribentique Marito suavissimus genius assedit*; ipsi communiter tribuitur Hymnus: *Aurea luce*, quem in solemnitate SS. Apo-sto-

(1) *ad an.502.n.28.* (2) *apud Sur.tom.1.* (3) *Not.2. Eccl. Syr.* (4) *In Vit. SS. Sicul.tom.1.* (5) *ad anu. 483.n.14.* (6) *tom.7.lib.30. n.54.* (7) *de Poet.Hist. Dial.5.* (8) *apud Mongit. in Bibl.* (9) *in vit. Boet.*

stolorum Petri, & Pauli usque nunc Romana Ecclesia concinit, ut testatur Cajetanus (1), & Arnoldus Vvion [2]; imò & carmen illud sepulcrale, quod mox innuimus, quamvis enim aliqui cum Bertio (3) à Boetio Viro compositum suspicentur, eam nihilominus id sibi scripsisse, viro adhuc superstite, cæteri sentiunt cum Vvernero Lario [4], & aliis; non enim venustam Boetii poesim carmina illa redolere docet Petrus Callyus (5).

9 Præter ingenii monumenta, pietatem collaudant Authores, & id clarè colligere licet ex Viri Boetii contubernio, qui sanctitate omnibus conspicuus in odium Fidei tandem detruncatus est. Hoc de ejus nece mirandum refert Callyus citatus: *Addunt satellitem ejusdem Boetii cervicem ita detruncasse, ut hanc ipse,* Boetius, *utraque manu divulsam sustinuerit; deinde interrogatus à quonam se percussum existimaret, responderit: Ab impiis. Tum profectus in vicinum Templum, flexis ad aras genibus, Sacra percepit; tandemque æternam gloriam consecuturus expiraverit.* Deceptus ab Antonio Amico Georgius Gualterius (6) est, qui Elpidem non Séverini Boetii Martyris, sed alterius Severi Boetii Torquati conjugem dixit; imò Boetio Martyri superstitem, quod sepulcrali carmine retunditur; hujus quippe sententiæ momentum, quòd nempe Severinus Boetius Rusticianam uxorem habuerit, exsufflant citatus Bertius, Arnoldus, & Callyus; duas quippe duxit uxores Severinus: Elpidem primò, & ea ad annum 504. supremo fato defuncta, Rusticianam: unde ex Authoribus summaria Chronologia rem hanc perstringit Reina (7), quòd Boetius anno 455. natus; anno 480. Elpidē duxerit, qua anno 504. extincta, Rusticianæ copulatus sit anno 511. demum capite minutus anno 526. ex Elpide filios desiderasse Boetium aliqui putant apud Callyum citatum; suscepisse nihilominus Patricium, & Hyparium, qui anno 500. Consules sedere, censent cæteri cū Bertio.

10 Quænam autem ex Siculis Urbibus Elpidis ortu glorietur, incertum dixit Mongitorius (8), sed nullo fundamento suffultus Messanam à diuturna possessione exturbare conatus est, quò nulli tribueret. Messanensem fuisse testatur Gualterus; *Messanæ in Armario vulgo* il tesoro, *ubi nobilis illa Bibliotheca M. SS. membranarum in omni genere literaturæ dives.... fortè fortuna in librum incidi signatum nomine Nicolai Coxæ Canonici florentis anno* 1466. *in charta pergameni Elpidem Messanēsem legi; quare apprimè gavisus sum tandem innotuisse, quod multos latuerit.* In Senatorio Palatio marmorea Elpidis imago reposita, tanquam Concivis. Hinc antiquum tertio ab hinc Sæculo monumentum, quod Eruditum virum, & antiquitatis perscrutatorem persuadere poterit, concors Patriorum Scriptorum Maurolyci [9], Samperii (10), Mozabiti (11), Reinæ (12), cæterorumq; gregatim testimonium, mirū quòd Mongitorium à movenda lite, quæ nulli suffragaretur, Messanam verò vellicaret, non deterruerit.

10 Patrem Elpidis. Festum Se-



(1) *in Idæa.* (2) *de lign. Vit. Cap. anic. Boet. gen.* (3) *præf. ad lib. de Consol.* (4) *Fasc. temp. ad ann.* 504. (5) *in Vita ad lib. de Consol. ad usum Delphin.* (6) *antiq. Tab. Sic. n.* 456. [7] *Not. Hist. Mess. ad an.* 504. [8] *in Bibliot. Sicul.* (9) *Ocean. Relig.* [10] *Iconol. B. V. l.* 1. *c.* 15. (11) *ad an.* 481. (12) *loc. cit.*

natus Principem dixit Callyus, (1), Arnoldus autem ex antiquis quibuscunque, & recentioribus Siculis Scriptoribus Titum Annium Placidium Consularem Virum, & exinde Elpidis soror asseritur Faustina, è qua & Tertullo genitus S. Placidus, & Fratres, qui Messanæ sequenti Sæculo sub Saracenica excursione Martyrium fecerunt; sanè sicut amoris, ita & sanguinis necessitudinem Boetium inter & Tertullum intercessisse oportuit; nec extra verosimile est, Tertullum sæpe Sublaci, vel in Cassino Monte S. Benedictum convenisse, quo Filium Placidum inviserer, nonnisi Boetio sociatum legi, qui Nepotis aspectu frueretur. De Boerio hæc Arnoldus. *Fuit Sanctissimo Patri nostro Benedicto familiarissimus, & Sublaci cum Tertullo S. Placidi Patre, aliisque Senatoribus, illius mensæ accubuit*: & Bettius, *Coævus fuit Cassiodori &c. Sancti quoque Benedicti, à quo fertur in Monte Cassino unà cum Tertullo Placidi Monachi Patre, Senatore Romano, mensæ Monasticæ adhibitus*. Duas igitur hasce ævi illius insignes fœminas Siciliæ, & Messanæ, quæ protulit, adjudicandas ducimus. Legendus tamen Reina [2].

(1) *in Vit. cit.* (2) *loc. cit.*

## §. IV.

## ECCLESIASTICÆ POLITIÆ ORDO.

1 Singulas ferè omnes Ecclesias hoc ævo Pastoribus suis potitas Gentiei Scriptores tradunt. Et quidem duos innominatos circa Sæculi medium Panhormum habuisse eruit Pirrus [1] ex supra relata S. Leonis Pontificis Epistola. *Etiam Panbormitani Clerici, quibus nuper est ordinatus Antistes, similem querimoniam in Sancta Synodo, cui præsidebamus, de usurpatione prioris Episcopi causam detulerunt.* Novum istum Antistitem Theobaldum Pirrus vocat, unde id hauserit, planè confessus se nescire. Consultiùs ei fuerat innominatum recensere, quàm nominis authorem citare neminem præter seipsū, & oblivionem. Nihil quippe Panhormitanæ Ecclesiæ, quam in clientelam susceptam præ oculis habuerat, gloriæ auctum, vel imminutum, si Theobaldus sit, aut nomen jaceat in obscuro; modò Epistolæ textus duos Episcopos evincat. Id mihi quidem facilè, non tamen omnibus certum, nec ex relatis verbis liquido cunctis apparet, alium prædefunctum fuisse Episcopum, qui Ecclesiæ bona dissipasset; nuper alterum ordinatum; eum, nulla violentia adhibita, Epistolæ sensus ita reddi possit; quòd Panhormitani Clerici, quibus nuper, & fortè primò, ordinatus fuerat Antistes, similem de usurpatione Episcopi prioris, mox nempe à S. Leone memorati, idest Tauromenitani, causam detulerint Concilio. Quid enim ad defuncti Episcopi accusationem, vel excusationem proderat, si nuper, aut pridem nimis ordinatus recens Episcopus fuerit, unde adeo curiosè recenseretur? Sed hoc hariolari est, & qui

[1] *Not. 1. Eccl. Pan.*

qui adhæſerit, Mamilianum è Panhormitanis diptychis expungat, oportet.

2 Gratianum etiam in Chalcedonenſi Concilio ſubſcribentem numerat Pirrus (1) citatus, & Invegius [2]: ſed durum Erudito cuilibet, non quidem Theobaldum anno 447. datæ Epiſtolæ Leoninæ tam citò Gratiano deceſſiſſe; ſed Gratianum inter antiquiores Chalcedonenſis Synodi Patres recenſitum, ordinationis ſuæ primitate, ſeptuageſimum primum ſubſcripſiſſe, ut expendit Invegius, quò Gratiani gloriam augeat; quamvis incorrecta Conciliorum editione deceptū ſuſpicemur; in Labbeana namque Pariſienſi emendatiori, actione tertia Concilii Chalcedonenſis, ſatis ultra centeſimum Gratianum recenſitum legimus, & ferè ducenteſimum ſubſcriptum. Porrò in Chalcedonenſi Concilio duplum Epiſcoporum, qui Nicæno interfuere, conveniſſe ideſt 636. habemus, vel 630. ex Liberato in Breviario(3),& Marcellino in Chronico, quibus adhæret citatus Pirrus; aut certè ferè 600. ex Epiſtola 52. S. Leonis. Demus igitur Natali Alexandro [4] ferè dimidium ſubſcribentium numerum injuria temporum exſufflatum; fidem adhuc ſuperat inter trecentos ultra Epiſcopos, quorum ſubſcriptiones ſuperſtant vix 70. inventos, qui tres ab ordinatione annos exceſſerint, quot à Theobaldo ſub Leone ad annum 447. conſecrato ad Concilium Chalcedonenſe decurriſſe apparet, etiam ſi modò à data Leonis Epiſtola fato functum Theobaldum ſuum velit Pirrus.

3 Item in editione Labbeana Conciliorum Epiſcopi in claſſes ſubſcripti referuntur, prout ex Codice Maffei antiquiſſimo ultra annos mille, unde priùs exſcripſerat Romæ P. Sirmondus,& per Metropoles diſtributi; inter eos autem Gratianus, qui alias Cratianus, aut Cratinus Panhormenſis in Catalogo Epiſcoporum alterius Pamphiliæ recenſetur. Oportuit ergo alterius in Oriente, & non Siculæ Panhormi Præſulem fuiſſe, aut in Urbis conſignandæ nomine erratum, vel malè correctum; ſiquidem tomo ſecundo Conciliorum Generalium in Synodo Romana ſub Symmacho Epiſcopus Phanemutenſis, aut Phaphutenſis, aut Panhormenſis ſubſcriptus legitur.

4 Denique ſeverioribus Criticis, quibus nullum præter Apoſtolicæ Sedis Legatos ex Occidentalibus Eccleſiis in Synodo adfuiſſe firmum,ſatis aſperum prælectâ putare Siciliam, quæ inter 630.Orientis plures Epiſcopos ſuos intruderet. Sanè ex Epiſtolis tantùm S. Leonis, cujus mens fuerat Synodū in Italia cogi,quò citra belli tumultus Occidentales Epiſcopi, aptiori temporis opportunitate expectata, convenire poſſent, colligi fas eſt ab Occidente nonniſi Legatos tranſmiſſos Chalcedonem. Habet enim in Epiſtola 50. ad Marcianum Auguſtum: *Quamvis eam fieri intra Italiam propoſciſſem, & aptiùs expectari tempus, quò ſcilicet plurimi poſſent Epiſcopi, etiam de longinquis Provinciis evocari; Mox tamen ut mihi pietatis veſtræ ſcripta ſunt tradita, & Bonifacium de compresbyteris meis ab Urbe direxerim, & de Epiſcopis Fratrem meum Paſchaſinum fecerim navigare,* &c. Et in Epiſtola 51. ad Pulcheriam Auguſtam: *cum à me ut in Italia fieret man-*

(1) *Not.* 1. *Eccl.Pan.* (2) *Pan. Sac. ad ann.* 451. [3] *cap.* 13. [4] *Sæc.* 5.*cap.* 3.*art.*13.§.17.

*mansuetudo vestra retineat postulatum, ut omnes nostrorum partium evocati Antistites, si securitas temporis suppeteret, convenirent; adeo tamen non aspernanter accepi, ut binos de Coepiscopis meis, & compresbyteris ordinarem* &c. Quod iterum videtur innuere Epistola 52. ad Episcopos Galliæ super formula Fidei ad Orientalem Synodum transmissa consultos; & ex sequenti Eusebii Mediolanensis, & Episcoporum Italiæ in nationali Synodo congregatorum super re eadem ad Leonem ipsum.

5 Justinum, seu Justinianum, cujus extat Epistola ad Petrum Fullonem, in qua Siciliæ Episcopus inscribitur, inter Panhormitanos Antistites anno 480. accenset Pirrus [1], & Piccolum tidet, qui Messanensibus adjudicaverit, quibus in universa Sicilia jus Metropoliticum ex inscriptione vind caret. Solutius tamen subsannandus ipse, qui Justinum inter Episcopos incertæ Sedis annumeratum (2), simul & Panhormitanum voluit, ac Siciliæ inde dictum, quia Panhormus Urbs Siciliæ Princeps. Hoc certè simultates, & contentiones Sæculares excitare est Ecclesiastico Scriptore indignas, & aleam jacere disceptandi, qualis ævo illo Panhormus fuerit, in quo non omnes Authores conveniunt. Profectò, id quod in fulcimentum subdit, ad ea tempora Belisarii Ducis opera Constantinopolitano Imperio restitutam Panhormum, quã pridem Theodoricus Gothorum Rex fortissimum, & validissimum Imperii sui præsidium constituerat, nec Urbis principatum evincit, & parachronismo laborat; quippe Theodoricus non ante annum 493. Odoacre cæso in Italia nimis obtinuit, nec ipsius in Siciliam descensus omnibus probatur; nec Belisarii restitutio ante annum 535. accidisse potuit ex Baronio (3), ut meliùs in Sæcularibus.

6 Mediam, & sibi meliorem viam ingressus Invegius (4) à Pirri vestigiis, quæ secutus fuerat, revocata sententia deficiens; & nec omnino certam, neque incertam penitus Justini Sedem commentus est. Ipsum quippe ait non Siciliæ, sed in Sicilia Episcopum inscribi; unde infert nec Syracusanũ, nec Messanensem, nec alterius cujusve ex celebrioribus Insulæ Ecclesiis Præsulem fuisse; sed obscurioris Sedis Episcopum; & id propter consultiùs assumpsisse nomen à Provincia. Sed hæc hariolatio exemplum omne prætergreditur, & Eruditorum fidem; cum nullus ex Episcopis legatur, sanctioribus illis Ecclesiæ Sæculis, Cathedralis Urbis dignitatem fastuosè affectasse, vel tenuitatem erubuisse. Nec Cnapheus doctrinæ robore evincendus, non famosis nobilitatis titulis, acceptas è Sicilia literas quisnam scripserit nimis curasset. De his nos infra; legendus interim latè & erudite Morabitus, qui integram refert Epistolam Petro Cnapheo scriptam (5).

7 In Tauromenitana Ecclesia etiam innominatus Episcopus ad annum 447. sedit, de cujus prodigalitate apud S. Leonem Clerici conquesti, ut Epistola citata constat; *Tauromenitanis enim Clericis deplorantibus Ecclesiæ nuditatem, eò quod omnia ejus prædia vendendo, donando, & diversis modis alienando Episcopus dissiparet*, &c. Fortè etiam sedit ad calcem Sæculi Rogatus, quem se-

[1] *lib.* 1. *Not.* 1. *Eccl. Pan.* (2) *lib.* 2. *Not.* 10. (3) *ad illum annum.* (4) *ad ann.* 485. (5) *ad ann.* 483. *f.* 373.

sequenti ineunte in Romana Synodo sub Symmacho subscriptum, legimus, de quo Sæculo sequenti.

8 In Ecclesia Catanensi Pirrus Domninum locat (1), qui interfuit Generali Synodo Ephesinæ primæ, ex Actis Concilii Chalcedonensis actione prima in tom. 2. Conciliorum, quæ coacta est anno 451. contra Nestorium. Aliquibus tamen in Codicibus Carthanensis ex librariorum errore legitur; sed sus deque omnia miscet. Synodum Ephesinam primam, anno 431. certè celebratam, ad annum 451. protrahit. Quòd si typorum sphalma causemur, unde irrepente solæcismo congregatio anni 451. ad ibidem memoratum Chalcedonense Concilium referatur, pejor priore novissimus error est; hoc quippe non contra Nestorium, sed contra Eutychetem, & Dioscorum congregatum, quibus nil cum Nestorio commune, adeò ut Eutyches Orthodoxos accusatores Nestorianismi insimularit. Item in Synodo Ephesina Domninum Occidentalem Episcopum constituere, Ecclesiasticæ Historiæ veritatem non redolet; cum eodem anno Cœlestinus Romanus Pontifex, Sacra Theodosii Imperatoris accepta, Occidentalium Episcoporum conventum Romæ percegerit; & in eo soli Legati ex Occidentalibus selecti Arcadius, & Projectus Episcopi, & Philippus Presbyter, atque in Orientem missi, qui Cœlestini Pontificis vices in Ephesino Concilio subirent, ex solis Orientalibus congregato; non ad definiendum, sed intimandum potiùs Occidentalis Romanæ Synodi Decreta contra Nestorium edita. Id colligitur ex relatione Concilii ad Imperatorem, quæ ad calcem actionis tertiæ nectur: *Licèt maximum itineris spatium universam illam sanctissimorum Episcoporum.* Occidentalium *multitudinem ad nos venire prohibuerit; attamen illis in locis simul congregati, Sanctissimo, piissimoque Magnæ Romæ Episcopo Cœlestino etiam præsente, & tunc nostram de fide sententiam magno consensu prædicarunt; eosque, qui diversa sentiunt ab omni prorsus Sacerdotii sorte, graduque alienos esse definierunt. Et hæc quidem etiam antequam Sanctissima hæc Synodus conveniret, Cœlestinus Sanctissimus Magnæ Romæ Episcopus per literas suas indicaverat; Cyrilloque Sanctissimo, Deoque dilectissimo magnæ Civitatis Alexandrinæ Episcopo, ut suas vices subiret commiserat. Sed & nunc denuo aliis etiam literis Sanctæ Synodo, quam vestra Maiestas in Ephesiorum Metropoli convenire præcepit, significavit. Misit autem has literas per Arcadium, & Projectum Sanctissimos Episcopos, & Philippum Religiosissimum Presbyterum Magnæ Romæ, qui Cœlestini Sanctissimi, Deoque dilectissimi præsentiam supplent; quia ergo Viri isti, qui venerunt, totius Occidentalis Sanctæ Synodi sententiam nostræ huic Synodo per literas exposuerunt; sensumque de fide, & pietate nobis consonum declararunt, & eadem quæ nos decreverunt, necessariò, quod officii nostri ratio postulabat, de consensu illorum nobiscum ad vestram Maiestatem retulimus.* De his legendi Pagius (2), & Natalis Alexander [3].

9 Hinc librariorum errore alibi Carthanensium, alibi Cartheanensium Episcopus Domninus subscribitur, non quia Catinensis, sed quia legendum, ut in editione Labbeana correctiori Episcopus Cotenæ (sive ut

(1) *lib.3.Not.1.Eccl.Catanens.* (2) *in Cœlestin.n.23.& in Leone n.21.* (3) *Sæc. 5.cap.3.art.13.§.5.& 17.& dissert.7.*

ut in margine: Cotyei) Provinciæ Phrygiæ Salutaris; lapsum iterum censeo Grossum (1), qui eundem Domninum subscriptum censet Actione 2. Concilii Chalcedonensis: in eadem quippe editione Domninus ille Episcopus Placentium subscribitur, & in Codice Maffejano in classe Episcoporum Helladis recensetur. Potius ad finem Sæculi sedisse putandus Fortunatus ille, qui circa annum 14. Sæculi sequentis pro Hormisda Pontifice cum Ennodio Ticinensi legatione ad Anastasium Imperatorem functus legitur, ut meliùs suo loco.

10 In Ecclesia Syracusana certò sedit Eulalius II. Piccoli manes de more apud Pirrum [2] vapulant; quod ante annum 465. sedentem constituat, ea ductus ratione, quia in Romana Synodo sub Symmacho Eulalius ante Candidum Tiburtinum subscribat; adeoque ordinatione ante quior evincatur Candido, qui anno 465. sub Hilario Pontifice Romano Concilio interfuerat. Non enim nimis subscriptorum coordinationi fidendum, inquit Pirrus, cum in Episcoporum serie, qui cum Felice, vel Symmacho definisse leguntur, immutatus ordo appareat, & iisdem posterior recenseatur Candidus, quos subscriptione præcedere deprehenditur. Sanè hanc eandem potuisset Ephesino, Chalcedonensi, cæterisque Ecclesiæ Conciliis Pirrus inferre calumniam; cum in recensendis Episcopis, qui sedere, non idem ordo, ac in subscribendo servatus comperiatur. Alia quippe est series, quam Sanctæ Synodi Notarius, nullo attento antiquitatis ordine, in Episcopis confidentibus catervatim recensendis tenet, Legatis tantùm primo loco enumeratis; alia subscriptionis, in qua quisq; consecrationis suæ locum regulariter occupat. Si infirmum igitur Piccoli argumentum, infirmum pariter & Invegii, qui Gratiani in Concilio Chalcedonensi antiquitatem extollit, quòd inter primos subscripserit; infirmum pariter & ipsius Pirri, qui fuimet, prout sæpe, oblitus, ex Eucarpi Messanensis Episcopi in Symmachiana Synodo inter postremos subscriptione, novitium inter Episcopos fuisse deducit [3]: *Ibi ut aliorum, ita & ipsius*, Eucarpi, *subscriptionem legimus, sed inter postremos, quia recenter fortè institutus erat Episcopus; in eo enim subscriptionis ordine, temporis, quo quisque primùm ad Episcopalem dignitatem evectus esset, ratio habebatur; id quod rectè monuit Baronius.* Ut ut res sit: Eulalius certè Sæculum clausit, cum eo cadente Fulgentium Ruspensem hospitio excepisse diximus.

11 In Ecclesia Agrigentina jam à labente Sæculo Potamionem sedisse credibile est, quem sub Theodorico Italiæ Rege cathedram tenuisse tradit Pirrus (4); Theodoricus autem ab anno 493. ad 527. imperasse comperitur; quis autem sit Anastasius ille, quem Theodorico Pirrus citatus antefert, & Italiæ Regem asserit, apud Historicos non legi; si Typographi oscitantia emendata, legendum, Athalaricus, certè Theodorici successor, non decessor; si omnino Anastasius: ille quidem Imperator, & Justinano, quem deinde nominat, non Theodorico copulandus; cumque ille ad annum usque 458. imperium obtinuerit, probabilitatem firmat, quòd ad calcem Sæculi quinti Potamio Agrigen-

(1) *Catan. Sac.* (2) *lib. 3. art. 2. Eccl. Syr.* (3) *lib. 1. Not. 2. Eccl. Meff.* (4) *lib. 3. Not. 3. Eccl. Agrig.*

gentinus Episcopus sederit.

12 In Ecclesia Messanensi circa annum 447. Bachylus sedebat, cuius mentio in Epistola citata S. Leonis incidit cum Paschasino; cumque Messanæ indulgere Pirrus ipse vix hæsitavit, cum eo ævo alios cæteræ Ecclesiæ Siculæ, quos noverimus, Pastores habuerint, ut supra expendimus. Item tempore Concilii Chalcedonensis Joannem Urbici Scriptores constituunt Baronio merito adhærentes, qui, ut alibi diximus, non Messene in Peloponneso, ut pluribus placuit, & novissimè Tillemontio (1), sed Messanæ in Sicilia tribuendum statuit. Gratis ipsum sibi Messanenses vindicasse asserit Pirrus ille, qui tam leviter Gratianum in eodem Concilio assidentem inter Panhormitanos constituerat, quem gravioribus momentis abducendum vidimus. Sanè quantùm ad ambiguam Cathedralis Urbis nomenclaturam satis diximus Sæculo præcedenti, in Alexandro, nil obstare, quin Messanæ indulgeamus. Nec quod Pirrus subdit: *In Epistola 38. pro Concilio Chalcedonensi ad Leonem Imperatorē inter Præsules Græcos Orientales Corinthi Metropolitæ subjectos decimoquarto loco Joannes Messinæ Episcopus reperitur*: pedicas injecit Morabito (2), ne citò se extricaret, recensitis iis, qui sub Petro Metropolitano Corinthi subscripti reperiuntur Episcopis, ex diversis adeò, & dissitis Provinciis collectos ostendens, ut unius Metropolitæ Corinthiaci suffraganeos fuisse impossibile sit. Hinc variarum Provinciarum Episcopos dixit sub Petro Corinthi subscriptos, quia sub ipso constituti, ideft post ipsum ordinati, ut explicat ex Henrico, Farnesio, & Tursellino; non verò suffraganea subjectione adstricti; hos enim Coepiscoporum vocabulo perpetim consignatos in antiquis monumentis probat ex Severtio, apud ipsum legendo. Hæc quidem dicta, ut invalida Pirri argumenta ostendantur; Maffejanus certè Codex, in quo sub classe Episcoporum Helladis recensitus Joannes, & suborta suspicio, quòd præter Apostolicæ Sedis Legatos alii ex Occidentalibus fortè Chalcedonem non convenere, non omnino firmiter Siculis concedendum Joannem aliquibus suasere.

13 Eucarpus, qui Concilio Romano sequenti Sæculo sub Symmacho adsedit, ad finem præcedentis Messanæ sedisse, certum ferè est. Hunc Pirrus exultat tandem aliquando se reperisse, quem extra dubitationis aleam in Messanensi Sede collocaret. Vidit sanè, quia non videre nequiverat; iisdem quippe oculis, quibus in aliis Siciliæ Ecclesiis viderat ipse, quos nemo alius, decessores videre potuisset. Pirrum ex solertia & labore laudo, ex animi candore non laudo. Bonæ fidei Scriptorem non oportet partium studiis distrahi; & in theca repositos oculos habere, quibus utatur ad lubidinem. Si gratiosus: omnibus indulgeat. Si severus: ad eandem trutinam omnes appendat, & expendat.

14 Justinus Siciliæ Episcopus, qui circa annum 483. contra Petrum Fullonem scripsit, Messanæ tribuitur à Messanensibus, Piccolo (3), Reina, Morabito (4), quorum præcipuum fundamētum inscriptio est *Siciliæ Episcopus*; Metropolitici Juris indicium, quod Urbi Patriæ mordicus adjudicant. Eo præsertim

 quòd

(1) *tit. 15. in Leon. art. 102.* (2) *ad ann. 451.* (3) *de antiq. Jure Eccl. Sic. p. 1. c. 22.* (4) *Ann. Eccl. Mess. an. 483.*

quòd tunc temporis Syracusæ, quæ de Metropolitica dignitate litem movere valent, Eulalium habuerint; ac si in eandem arenam Panhormitani descendant, Gratianum suum à Chalcedonensi Synodo ad Romanam Symmachi protrahunt. Sed de his intra fusius. Incertæ sanè Sedis Episcopus Justinus; si conjecturis agendum, nonnisi pro Messanensi ferendum suffragium ostendemus.

15 Latam nimis contentionum segetem consultò intactam prætcrimus, Arcadianum nempe privilegium, quo sub initio quinti Sæculi Siciliæ universæ Protometropolis Messana dicta perhibetur; satis quippe inter Sæcularium rerum Scriptores hinc inde pugnatum, utinam salva pace. Doleo quod Ecclesiasticæ Historiæ Scriptor Pirrus (1) recocta cambre ad nauseam refricata, amarulenta adeo phrasi, nonnisi tamen Scommate, & Sarcasmis, expungere intentarit, quod longè melioris notæ, & sincerioris Criterii Viri non contemnendis rationibus propugnarant. Ex exteris quidem Alanus Copus, Jacobus Gretserius, Jacobus Valdiviesò, Petrus Gregorius Tolosates, Carolus Tappia, Nicolaus Peglionus, Maugerius &c. ex indigenis Fazellus, Carnevalius, Hadria, Orlandinus, Gambacurta, uterque Maurolycus, & passim Messanenses Scriptores; de quibus legendi fusè Reina (2), & Morabitus (3).

16 Duo sunt, quæ Ecclesiasticam rem concernant, ex adverso leviter attacta à Pirro. Primò vox illa *Protometropolis*, quam in Ecclesia notam, & magnificè portentosam sugillat; sed modestiùs infra absonum sibi fatetur vocabuli figmentum. Id tamen Eruditis cæteris nec absonum, nec novum probat Stephanus Maurus (4), & triginta ferè exemplis ex Historia utraque erutis vocem illam *Proto* ad primitatem ordinis innuendam præponi solitam evincit, vocabulis quibuscumque, etiam superlativis, ut *Protonobilissimus*. Ipsum lector consular.

17 Aliud: quod à limine salutantibus Historias, Metropoliticam dignitatem Antistiti adjudicare Imperatoribus non datum apparet; sed certè adhuc obscurum, an in Concilio Chalcedonensi id primò Imperatoribus vetitum, unde Arcadianum rescriptum annis prope quinquaginta antiquius calumniam non patiatur: an verò nunquam licuisse decretum sit. Certè non ex eo Græcos Imperatores loco suo dimotos novimus, quò abstinerent; jure sive injuria; Romano Pontifice indulgente vel tolerante, non est instituti nostri examinare.

18 Fortiùs: in Metropolitica dignitate jus ordinationum reperire est, cæteraque, quibus suffraganei Episcopi Metropolitæ subjectionem testentur; item & honoris notam specialem, qua cæteris Provinciæ Episcopis præstantior Metropolita antefertur. Illud quidem Civitatibus Imperiali rescripto in Metropoles evectis Concilii Chalcedonensis decreto interdictum, ne præexistentis in Provincia Metropolitæ jura turbarentur; indultum tamen istud, & expresè. Hinc Actione 13. scriptum *Episcopo Nicomediæ* Provinciæ Metropolitano *ordinationes competunt; quia & leges* Imperiales Valentiniani & Valentis *recitatæ, sicut perspexit & vestra magnificentia, nomine Metropolis solum honorarunt Nicæum*

(1) *lib.* 1. *Not.* 2. *Eccl. Mess.* (2) *Not. Hist. Mess. ad ann.* 407. (3) *ad ann.* 407. (4) *Mess. Protometr. cap.* 4.

cænum; & præponitur reliquis Episcopis Provinciæ honore solummodo: & Canone 12. *Quæcumque verò Civitates jam literis Imperialibus Metropolitani nominis honore subnixæ sunt, honore solummodo perfruantur, & qui Ecclesiam ejus gubernat, Episcopus; salvis scilicet veræ Metropolis privilegiis suis.* Plura ergo Arcadii privilegio Messanensi Episcopo accessere, quibus alius nemo ex Siculis Episcopis frueretur.

19 Imò ex Pirri sententia totum, quod potuerat, ei collatum. Acriter quippe tuetur nullum in Sicilia, adhuc D. Gregorii temporibus Metropolitanum extitisse (1): *Meo hæc hæret animo sententia; per ea D. Gregorii tempora nemo omnium Episcoporum, qui in Sicilia erant, Metropolitanus fuit; sed æquè omnes & proximè ipsi subdebantur Romano Pontifici, qui vel per se ipse, vel per eum, cui pro re nata, atque orbitratu suo negotia demandaret, res omnes solebat administrare, quibus scilicet gerendis Episcoporum opera non satis commodè posset adhiberi. Hanc mihi opinionem suadet* &c. Si igitur Metropolita nullus, cui Episcopi reliqui subiicerentur; unus ergò Messanensis, nullius jurisdictione exturbata, ad honorem saltem Metropoliticæ dignitatis elatus, quo cæteris anteiret, quo pacto ævo illo Metropolitanus esse poterat, censendus.

20 In Ecclesia Lilybætana circa annum 440. & inde satis Paschasinum habemus ex S. Leonis Epistolis, Actis Concilii Chalcedonensis, & Sæcularibus Siciliæ Historiis. In Tyndaritana, fortè nuper instituta; Severinum labente Sæculo sedisse, penè indubium est, cum sub prima sequentis Sæculi luce Synodo Romanæ sub Symmacho subscripserit. In Leontina, an Alexander ille, qui inter Lucianum ad annum 400., falsò apud Pirrum 600., sedentem, & Lucidum, de quo meminit in Epistolis suis D. Gregorius, à Pirro recenseтur, conterminus Luciano fuerit, & Sæculo quinto reponendus, an verò Lucido proximior, & ad sextum revocandus, obscurum.

21 Ex Ecclesiis Insularum Siciliæ adjacentium, Liparitana Augustum habuit in fine Sæculi, qui Romanæ Synodo, ineunte sexto sub Symmacho interfuit. In Melitensi Acacium refert Pirrus (2), qui Ephesino Concilio interfuit; sed subdubitat, quia Melitenæ Episcopus subscribitur; & quidem expressè in Provincia Armeniæ, & inter Metropolitas accensetur in editione Labbeana; unde iisdem, quibus Gratianus, argumentis impellitur. Certò statuendum putat Constantinum, qui sub Symmacho Synodo Romanæ adfuit; sed hic non minùs quam Acacius, Melitenæ Civitatis Episcopus inscribitur, adeoque pari spongia delendus videtur. Fides tamen apud Authores sit.

22 Hoc Sæculo Siciliam unicam fuisse Provinciam manifestè evincitur ex Epistolis citatis S. Leonis, ad Marcianum quippe Augustum, cum in Orientem Legatum Paschasinum transmitteret, scripsit; *Fratrem, & Coepiscopum meum Paschasinum de ea Provincia, quæ videtur esse securior, evocatum, qui vicem meæ præsentiæ posset implere, direxi.* Iterum ad Siciliæ Episcopos de querelis contra Episcopum Tauromenitanum in parte Syracusana, & Panhormitanum in parte Lilybætana, bona Ecclesiæ dissipantes scribens, eiusdem Provinciæ Episcopos vocat. *Occasio specialium querelarum* ca-



(1) *lib. 1. Not. 2. Eccl. Mess. in Felic.* (2) *l. 3. Not. 7. Eccl. Melit.*

*curam nobis generalem indicit,ut quod in duabus Provinciæ vestræ Ecclesiis improbè gestum* &c. Idem clarissimè innuit, cum ad eos scribit,tres è Sicilia universa Episcopos singulis annis Romam convenire debere ad sacrum Conventum, & Synodi literas per Bachylum, & Paschasinũ transmisit. Unde ad hæc usque tempora completi sæculi quinti, somniatam omnino, & invisam Siciliæ in duas Provincias partitionem putamus.

23 Plura, quæ Ecclesiasticam Politiam concernant hoc Sæculo exagitanda, remanent; occasione quippe arrepta ex Justini illius titulo *Siciliæ Episcopi*, & S. Leonis Decreto, quo ad Synodum Romanam singulis annis Episcopi Siculi vocari, hinc inde disceptandum, an Sicilia Metropolitanos suos habuerit, aut speciali Jure Romanum Pontificem Metropolitam agnoverit, proxima & immediata subjectione. Sed quia monumenta hæc rudia adhuc & informia ex Gregorii Magni Historia lucem expectant, Sæculo sequenti disquisitionem remittimus.

## §. V.

## *SÆCULARIS IMPERII ANALECTA.*

1 SÆculo Quinto incunte Arcadius & Honorius Orbis imperium tenuere. Sub Honorio, qui Occidenti præerat, belli, & devastationis minas, non clades passa ab Alarico Gothorum Rege Sicilia,& penè miraculo servata est; ut habent Fleury [1], Ciacconius (2), & Siculi Scriptores (3) post Paulum Diaconum (4), *Deinde Gothi per Campaniam, Lucaniam, Brutiumque simili strage bacchantes, Rhegium pervenere, in Siciliam transfretare cupientes,quò cum transmeare ascensis Navibus vellent, perpessi naufragium plures suorum amiserunt. Alaricus inter hæc, & dum, quid ageret, deliberaret, apud Cosentiam morte subita defunctus est*; Honorio anno 423. ad Patres apposito Theodosius Arcadii filius in Oriente imperans, Joanne, qui Occidens occupaverat,excusso, Valentinianum III. consobrinum,puerum adhuc quinquennem, in Cæsarem evectum in Italiam regnaturum misit. Eo imperante factus in Siciliam primus Vandalorum excursus circa annum 439. & sequentem, Theodosio XVII. & Festo, ac Valentiniano quinto, & Anatolio Coss. ex Prospero, & Cassiodoro [5] piratico more maritimas Urbes, & loca depopulasse, & Panhormum obsedisse habemus ex Idacio,& Isidoro (6),repulsos autem à Cassiodoro seniore (sive is Insulæ Præfectus, sive Militiæ Dux fuerit) tradit Junior (7): *Avus enim Cassiodorus illustratus, honore cinctus, qui ejus generi non poterat abnegari, à Vandalorum incursione Siciliam, Brutiosque armorum defensione liberavit. Ut meritò primatum in illis Provinciis haberet, quas à tam sævo, & repentino hoste defendit*, & ibidem à Sicilia etiam, retractum subdit

(1) *tom.5.lib.22.n.21.*(2) *in Vit.Innoc.I.*[3] *lib.3.Hist.Sican.* (4) *lib.3.de bell. Gothic.* (5) *in Chronic.* (6) *in Chronic.Vandal.* (7) *lib.* 1. *var.ep.* 4.

subdit Gensericum Sebastiani Comitis metu, qui ex Hispaniis in Africam à Valentiniano missus Vandalum Regem ad res suas tuendas revocavit; prout ex Chronico Prosperi profert Baronius (1), & Tillemontius (2).

2 Sebastiano in Africa occiso, & Ducibus, quos Theodosius afflictis Valentiniani rebus in suppetias miserat, re infecta recedentibus, iterum Gensericus Siciliam tentavit; donec circa annum 442. fœdere sancito recessit, & pace aliquali, quæ talis saltem visa, potita Sicilia est. Hinc S. Leo in Epistola citata (3) ad Marcianum Augustum è Sicilia ad Chalcedonense Concilium Paschasinum Lilybætanum Episcopum selegisse testatur, quem Legatum Apostolicæ Sedis ad Synodum mitteret, quia extra belli aleam Vandalorum recessu, regio illa constitura apparuerat, *Fratrem, & Coepiscopum meum Paschasinum de ea Provincia, quæ videtur esse securior, evocatum, qui vicem præsentiæ meæ possit implere, direxi*; ut etiam legere est, apud Fleury (4), & Tillemontium (5).

3 Anno Christi 454. post Valentiniani cædem Gensericus, Sacramenti religione neglecta, ad Siciliæ depopulationes iterum rediit; ut refert Procopius (6), *Post mortem verò Valentiniani aliquot annos Veris initio continuò longas fecit prædando, ac populando excursiones; nunc in Siciliam, nunc in Italiam; Civitates insuper partim diripiendo, partim solo æquando. Ubi verò omnia delevit, ad Orientis conversus imperium, Illyricum omne simul & Peloponnesum, hisque adjacentes Insulas cum reliqua Græcia invadit. Ad Italiam rursus, Siciliamque revertens, si quid erat reliquum, diripuit*. Deceptum autem Baronium, & plures nominis sui authoritate, in præceps traxisse, quòd hoc anno Paschasini Lilybætani captivitas acciderit, supra ostendimus, eamque ad annum 440. solido fundamento retulimus.

4 Valentino sublato Avitus in Occidente obtinuit, dein Majorianus, & anno 451. Severus; quo imperante Marcellinus Patricius in Sicilia Vandalos fugavit, tantaque clade protrivit, ut tantùm non deleverit (7). Post quartum Imperii annum Severus veneno elatus, & Leonis in Oriente Augusti authoritate, Occidentis Imperio subrogatus Anthemius; sub quo anno 468. Flavii Ricimeris virtute iterum ad Agrigentum cæsus, fugatusque Gensericus refertur à Sidonio Apollinare apud P. Cajetanum (8).

*Præterea invictus Ricimer, quem publica fata*
*Respiciunt, proprio solus vix morte repellit*
*Piratam per rura vagum, qui prælia vitans*
*Victorem fugitivus agit.*

& mox de Genserico:

*Agrigentini recolit dispendia campi,*
*Inde furit, nam non Siculis illustrior arvis*
*Tu Marcelle redis, &c.*

Anno demum 472. cæso Anthemio, in Occidente imperarunt Olybrius, Glycerius, Julius Nepos, & Augustulus; in quo extinctum Occidentis imperium in Augusto natum. Anno quippe 476. Odoacre Herulorum Rege Italiam occupanto

(1) *ad ann.* 440. (2) *tom.* 16. *in Eugen. art.* 12. (3) *Ep.* 46. *Quesnel.* 66. (4) *tom.* 6. *lib.* 27. *n.* 51. (5) *tom.* 15. *in Leon. art.* 97. (6) *lib.* 1. *de bello Gothic.* (7) *Abbevil. ad eund. ann.* (8) *Isag. c.* 44. *n.* 5.

te captivus, imperio exutus, & in Campaniam relegatus est.

5 Circa eadem tempora refert Tillemontius (1) Gensericum Odoacri, qui in Italia latè obtinuerat, Insulam Siciliæ vendidisse, censu sibi in antiqui dominii monumentum reservato, ex parte quadam; fortasse Lilybætana, unde demum ejectos a Belisario Vandalos legimus apud Invegium (2): id tamen apud cæteros non vulgare, imò Abevillæus ad annum 491. Vandalos pace impetrata Siciliam tandem infestare desiisse scribit; & idem ex Cassiodoro P. Cajetanus [3].

6 Anno 493. Theodoricus Ostrogothorum Rex, qui jam ab anno 488. Italiam invaserat, & sequenti Odoacrem prælio fuderat, eo tandem occiso solus obtinuit. Sub ejus Imperii in Sicilia initiis pro ipso Præsidem egisse Cassiodorum Juniorem ex Epistola 3. & 4. libri 1. educit Pater Cajetanus citatus [4], quò ejus prudentia, & authoritate motus, qui exsurgere potuissent, faciliùs compescerentur.

7 Ex his liquidò apparet, hoc Sæculo sub Imperatorum, & Italiæ Regum ditione Siciliam fuisse; cum ab illis Duces & Præsides, qui ab hostibus tuerentur, & jus dicerent missos habeamus; nullatenus autem Romanæ Ecclesiæ dominatū agnovisse. Clariùs de hoc subest in ipso Sæculi limine monumentum; nempe Arcadium, & Honorium Augustos ad Eusebium Siciliæ Consularem scripsisse (5), ne Urbes vetustate labantur, de redditibus fundorum Juris Reipublicæ, tertiam partem in earum reparationem impendi [6]: quid autem Fisco, & Urbium reparationi commune, quas in sua ditione Imperatores non haberent? Iterum de Vandalica persecutione indolens scripsit Salvianus (7) *Vastata eversaque Sicilia, Fisci horreo, & quasi Vena Reipublicæ corporis abscissa; extincta Africæ anima, ac Republica Occidentis*. Quod Imperatorium dominatum apertè redolet.

8 Consularem item Provinciam perseverasse Siciliam sub Arcadio & Honorio, Eusebius ille, de quo meminimus, Siciliæ Consularis ostēdit. Quid in subsequentibus actum, in obscuro; generali quippe Præsidis nomine ad calcem Sæculi appellatum Cassiodorum diximus, quamvis Siciliæ Correctorem appellet Cave [8] apud Mongitorium (9). Denique integro Sæculo Græcum idioma in Sicilia obtinuisse ex Græcorum Imperatorum dominatu colligimus, & Epistola citata Justini Episcopi anno 483. ad Petrum Cnapheum, quam græcè scriptam fuisse compertum.



DIS-

[1] *tom. 16. in Eugen. art.* 14. (2) *Pan. Sac. ad an.* 474. (3) *Isag. c.* 44. *n.* 5. (4) *c.* 43. *n.* 11. (5) *de oper. publ. l.* 15. *c.* 1. (6) *apud Cajet. in Isag. c.* 40. *n.* 9. & 44. *n.* 5. (7) *lib.* 5. *de Jud.* [8] *Inscript. Eccl. Hist. lit. tom.* 1. *pag.* 277. (9) *in apparatu ad Bibl. Sicul.*

# DISSERTATIO
## QUA ÆTATE FLORUERIT PHILIPPUS AGYRENSIS.

1 PHilippo Agyrensi Eusebium quendam Monachum peregrinationum comitem ad extremum usque diem adhæsisse, omnibus compertum. Quod verò idem met illius vitæ Acta scripserit, ambigit nemo, quem legerim. Unum deme Authorem (quisquis ille sit) Animadversionum in Vitas SS. Siculorum P. Octavii Caietani, qui Animadversione in Vita S. Philippi n. 2. perperam addubitare visus est, an alius a comite Scriptor: at cum nihil præter dubium suum proferat, fidem demeretur; & in pari causa de Magdeburgensibus vitam Antonii Magni ut spuriam Athanasio adjudicantibus scripsit Bellarminus [1]: *Nihil contrarium afferunt Centuriatores nisi judicium suum; stultum est autem sine ulla ratione, vel conjectura, vel authoritate id in controversiam vocare, de quo nemo dubitat.* Scrupulosum nihilominus censorem Eusebius ipse redarguit, qui Scriptorem se, & insimul Romanæ peregrinationis comitem, ac mortis testem fatetur (2): *Facta inde subitò serenitate, & tranquillitate magna salvati omnes sumus meritis Apostoli, tertioque post die Romam pervenimus.* Et intra: *ædificavit autem*, Belisarius, *& thecas duas, superiorem quidem Eusebio Monacho, qui ejus vitam scripsit, & miracula; inferiorem verò sacris ejus reliquiis.* Idem habetur in Breviario Gallicano [3]. *Ædificatæ sunt ab eo*, Belisario, *duæ Cellæ; idest superior quidem Eusebio, qui scripsit vitam; inferior sacris reliquiis Philippi.*

2 Utrumque temporibus Arcadii sub prima quinti Sæculi luce claruisse, ex Actis Eusebianis diù per Orbem obtinuit; donec sextodecimo penè labente primus Arcadiano Sæculo litem movit Fazellus (4), ad Neronis tēpora Philippum, (adeoq; & Eusebium Synchronum) revocans, & à D. Petro in Siciliam missum consignavit: ex qua autem Sylva censoriam hanc virgulam excerpserit, non meminit: *Philippus genere Constantinopolitanus Christi fidem professus ob doctrinæ morumque integritatem à D. Petro Apostolorum Principe, cui erat discipulus, ad Christi Evangelium Siculis concionandum missus.* Genticum Scriptorem, & certè non de Authorum plebe, secuti ex exteris quotquot mox post ipsum scripsere: Baronius (5), Galesinus (6), Philippus Ferrarius (7), Carolus Stengelius [8] &c. ad quos forte nondum Eusebiana Acta pervenerant: at oculatiores Siculi, quorum manibus jam diù terebantur, hominem gratuitò à comunibus placitis abhorrentem sprevere. Maurolycus [9]. *Per hæc eadem tempora*, Arcadii,

cla-

[1] *tom.2.Contr.2.c.5.* (2) *in Actis.* (3) *ad diem* 12. *Maji in fest.S.Phil.lec.3.* (4) *Dec.1.l.10.c.de Agyr.* (5) *in Martyrol.prim.edit.* (6) *ibid. ad* 6. *Id.Maji* (7) *in Topograph.* (8) *in Vit.D.Petri.* [9] *Comp.Sican.Hist.l.3.*

*claruerunt Hieronymus, Augustinus, Ambrosius Præsules, & Theologis atq; hic in Sicilia Philippus Presbyter è Syria oriundus, Agyræ &c.* P. Octavius Cajetanus (1): *Philippus post annum* 400. *in Siciliam pervenit ... quod ex Eusebio rerum Philippi Scriptore, quem penes nos habemus, planè cognovimus.*

3 Quinimò ex exteris iidemmet, quibus denuo in idem argumentum scribere obtigit, comperta coæva Eusebii Historia lepide, & citra Authoris injuriam pedem retulere; a Romano Pontifice dumtaxat in Insulam missum innuentes; nullas quippe veræ Criticæ regulas in Fazelliana ea novitate ex intervallo deprehenderant. Philippus Ferrarius (2). *De S. Philippo plura apud Thomam Fazellum, ubi illum S. Petri discipulum (quod etiam Petrus Galesinus in suo Martyrologio affirmat) Constantinopoli Romam profectum scribit; cum ex antiquis M.SS. ex quibus vita desumpta est, eum Arcadio imperante natum constet: id quod & Baronius in Annotationibus habet,* & Baronius [3] *In Sicilia S. Philippi Agyrionis, qui à Romano Pontifice ad eam Insulam missus &c.* & in Annotationibus, ad quas seipsum remiserat in Annalibus anno 44. *Philippi, de quo plura scribit Fazellus de Reb. Sicul. Dec.* 1. *lib.* 10. *accepimus ejus res gestas M.SS. quarum est exordium: In diebus Arcadii Imperatoris.* Adeo autem sacræ antiquitatis studiosum Baronium novimus, ut quæ de recessu Petri Roma Africam versùs, ubi Carthaginensem Ecclesiam erexit ex Metaphraste, retulerat, salutari hac clausula munierit (4): *Si tamen fides adhibenda est illi*, Metaphrasti, *sine majorum authoritate loquenti*; & tamen Metaphrastes inter antiquos reponendus, floruit enim Sæculo septimo sub Heraclio, ut ex ipsomet colligitur in Actis S. Alipii Cyonitæ; quamvis non desint, qui decimo Sæculo addicant [5]. Hinc coniiciendum quid senserit de Fazello novem post Sæcula à Metaphraste, ad libidinem scripturiente, vel saltem post sex. Non prætereundum, ur tacita objectio præveniatur, quòd Baronio superstite plures Annalium editiones maturatæ sunt, in quibus plura ad limam revocata. Esto igitur in editione anni 1603. demus Animàdversori voluisse Notas in Martyrologium, si Annalibus dissonent, ex his corrigendas; id tamen intelligendum, nisi in Annalibus expresse ad Notas se referat, quod in casu nostro accidisse ostendemus infra num. 24.

4 Pirrus (6) denique rem luculentiùs perpendit, non ausus quidem Eusebianæ Historiæ inferre calumniam, sed ei Commentariolum quoddam D. Athanasii, quod tunc primò in lucem prodiit ignota obstetricis manu, opposuit, in quo Philippus temporibus Neronis adjudicatur: & pluribus deinde argumentis Eusebii Acta interpolationis insimular, ut per mendum pro temporibus *Neronis* tempora *Arcadii* irrepserint; in cæteris autem adeo Athanasio conformem fatetur, ut uno, vel altero verbulo expuncto, vera Epocha restituta, utriusque narratio consentiat; *Non ausim ego Eusebii narrationem explodere, quam in tot Tabulariis diligentissimè asservatam reperio; præsertim cum non multùm discrepent quæ scribit Athanasius .... melioris puto esse consilii, unum glossema, vel alterum expungere.* Hoc idem

(1) *in Idea.* (2) *Catal.SS.Ital.ad diem* 12.*Maji in adnot.ad Vit.*[3] *in Martyr.* (4) *ad ann.*51.(5) *ex Nat al.Alex.Sæc.*1.*diss.*16.(6) *Not.*1.*Eccl. Pan.*

idem præcitatus Animadversor num. 1. probavit, qui verbosiorem tantummodò in miraculorum frequentia Eusebium cognovit; *Si res gestas conferamus, quas narrant, non multùm differre sentias; plura tamen miracula narrat Eusebius.*

5 Priusquam igitur hinc inde momenta ad trutinam revocem, quæcumque in Eusebio, & Athanasio apertam Antilogiam sapiunt, sequenti schemate cordatis obiiciendum duxi; ut inde dijudicent, an unus alterius penè echo sit, atque uno, vel altero verbulo diffideant, quòd facilè correctionis limam admittant, adeo inter se dissonent, ut nulla unquam, salva utriusque syncceritate, expectari queat harmonia.



| *EVSEBIVS* | *ATHANASIVS* |
|---|---|
| 1. *Temporibus Arcadii Imperatoris...* | 1. *Temporibus Imperantis Neronis.* |
| 2. *Fuit in Thracia Provincia...* | 2. *Fuit Romæ.* |
| 3. *Cujus uxor erat Augia...* | 3. *Huic erat uxor Annesia.* |
| 4. *Ex magna Romanorum Urbe oriunda...* | 4. *Ex Bethsaida Oppido Andreæ & Petri...* |
| 5. *His tres filii erant...* | 5. *Peperit illi puerulum masculum...* |
| 6. *Repentè intumescens unda Fluminis ipsos cum jumentis abriperet ... Philippus ait: Domine ne perdas me in hac aqua, sicut perierunt fratres mei aquis torrentis.* | 6. *Fluvium, qui transmittendus juveni fuerat, ita auxit, ut animalia & animalium Dominum submerserit. Hoc acerbo repentinoque nuncio de morte unigeniti filii accepto ... heu heu ubi mortuus est filius meus ... neque enim te posthac fili mi sum visura.* |
| 7. *Potest autem Deus dare vobis filium unum pro his, qui mortui sunt...* | 7. *Deus patientiam & humilitatem eorum animadvertens secundum filium, ut Annæ alterum Samuelem, donavit.* |
| 8. *Diaconus factus est anno ætatis 21.... dicebat autem ei sæpè Mater: Fili mi dulcissime, si tibi liceret Romam ire.* | 8. *Cumque duodecimum annum attigisset, quid de eo statuissent parentes in hæc illi verba aperuerunt... volumus fili mi, ut Romam te conferas.* |
| 9. *Theodosius verò cernens fixum ejus in Deum amorem... atque ita eum complexus dimisit, inscia Matre, nihil de hac re cum ea communicans...* | 9. *Philippus acceptis à Patre literis ... necnon utriusque parentis benedictione, gaudens egressus est...* |
| 10. *Ille autem voluntate Dei navigans appulit ad oram Italiæ, statimq; facta est ingens tempestas;... facta inde subitò serenitate ac tranquillitate magna salvati ... tertioque post die Romam pervenimus.* | 10. *Postquam autem in Italicum,* certè juxta Geographiam in Attalicum, *sinum pervenerunt, flante vehementi vento... magna facta est tranquillitas... pervenimus autem in Cretam* |

| EVSEBIVS | ATHANASIVS |
| --- | --- |
| | *tam Insulam, ibique septem dies commorati. . . felici navigatione Romam delati sunt.* |
| 11. *Philippus cum Monacho ad Ecclesiam profecti . . . nec mora, favente Deo revelatur Papæ* | 11. *Illa verò nocte sensit Petrus Pontifex, & Apostolus Christi divinam intra se inspirationem, quæ diceret: mitte, qui accersat cognatum tuum . . .* |
| 12. *Qui accito uno è Diaconis, ait illi: vade ad lævam Templi; & ibi invenies Diaconum penula tectum cum alio Monacho. . .* | 12. *Petrus autem vocato uno ex Ministris: ingredere, inquit, in Urbem, & ad dextram ejus partem petens, offendes hominem nomine Philippum . . . in hospitio morantem . . . cernens verò Petrus illius virtutis magnitudinem in Diaconorum numerum illum adjecit; & deinde Sacerdotem.* |
| 13. *Dic, ut Ecclesiam ingrediatur, & tecum ministret. . .* | 13. *Hunc tu meo nomine salvere jube, & ad me perducito. . .* |
| 14. *Rhegium Calabriæ pervenerunt, magnam modestiam præseferentes; divinoque nutu Messanam appulerunt; terrestrique itinere ad locum prædictum Agyrium. . .* | 14. *Benedictione à se donata in Siciliam dimisit. Venit autem primùm Catanam; indeque in Agyrium.* |
| 15. *Philippus 40. diebus ante obitum suum apparuit. . . assumensque pueros ejus venit ad Agyrium locum . . . procumbens Sanctus ad sepulcrum suum, aperiens os suum dixit: hæc requies mea in sæculum sæculi . . . & sic obdormivit in Domino.* | 15. *Descendit tamen ab Agyrio monte in locum quendam semotum ab Urbe Messana tribus passuum millibus. . . funeris ejus Sacræ Reliquię, omnique veneratione dignum Corpus in Agyrium Montem translatum est.* |



6 Hic unum è duobus aula excedere emunctæ naris homo facilè jubeat; cum non in uno, vel altero verbulo discrepent, quod audaci sciolo, vel incurioso Transcriptore castigato emendetur, ut ex inde in idem recidant; sed in tota ferè Historiæ contextura, temporum, nominum, gestorum narratione sibi invicem obsistant; unde deceptus Pirrus cum scripserit; *Mihi professò unum, aut alterum potiùs verbum in Eusebiana illa Historia vel expungendum, vel castigandum videtur potiùs, quàm D. Athanasii Commentarium, vel integram Eusebii narrationem repellere*. Quis autem Athanasium post tertium Sæculum scribentem, & ex iis, quæ legerat, præferat Eusebio Synchrono comiti, & testi? Probitatem Scriptoris multùm ad fidem Historiæ conferre annuimus, sed, ut ait Canus (1): *Cùm, quę narrant Historici ea vel ipsi se*

[1] *lib.* 11. *cap.* 6.

*se vidisse testantur, vel ab iis, qui viderunt accepisse ... magnis quippe præclarisque virtutibus Viri Sanctissimi, atque optimi, id consequi meruerunt, ut in rebus ejusmodi, quas vel spectasse se, vel ab aliis fide dignis, qui spectarint, se audisse testati sunt, fides omnino illis habeatur*: imò inter Patres ipsos antiquioribus contradicentibus recentiores loco cedere jubent Critici; unde Natalis Alex.(1) potiùs fatetur, se credere Tertulliano circa Baptismum Montanistarum, quàm Basilio, qui ab ejus tempore ferè annos 170. distaret. Cur ergo Philippum passum procellam ad oras Italiæ, unde triduo potuerit Romam contendere, negabimus Eusebio eadem navi devecto, quia Athanasius post annos tercentum asseruit in sinu Pamphilico excitatam tempestatem, & felicem deinde fuisse navigationem Romam usque?

7 Ego sanè Eusebium sectandum teor; quis enim ceu suppostitia explodat Acta Eusebiana, quæ apud Agyrum Syriaco olim idiomate scripta Pirrus in margine testatur? quæ græcè asservari in Bibliotheca Vaticana, Cryptæ Ferratæ, & Monasterii SS. Salvatoris Messanæ in confesso apud omnes est? quæ latinè in M. SS. Codicibus Ecclesiarum Agyrensis, Catanensis, Syracusanæ, & Panhormitanæ legi Animadversor ipse num. 2. affirmat? & subdit: *Quòd eadem Acta tot in locis serventur, conciliat illis fidem, nec leviter, ex Pirro, explodenda narratio, quæ tot Tabulariis diligentissimè asservata reperitur.*

8 Incuriosos porrò Transcriptores non abnuo. Desidiam tamen dumtaxat, unius vel alterius loci error evincit; ut eruditè pluribus exemplis, in quibus Acta Sanctorum insyncera epocha depravata reprehenduntur, Pirrus ostendit, secus tamen tot in locis, quot Athanasiani Commentarioli dissonantia demonstrat. Interpolationi obnoxiæ quidem Historiæ sunt. Potuit, fateor, Latinus Interpres Græcum textum inficere. Potuerit & Græcus Syrum. Sed qua esse potuere, non divinatio, sed ratio desacto fuisse convincat. Criticorum regula est [2], quòd si in aliquibus depravatio irrepserit, iidem Critici, qui interpolationem detegant, originem interpolationis educant. Hinc Rufinus Origenem interpolasse deprehensus est; sed in eo interpolationem omnem positam S. Hieronymus agnovit, ut quos contra Trinitatem errores ab Arianis in Origenis operibus intrusos putavit, expungeret; & lacunas Catholicis sententiis expleret. Hauserint igitur ex infecto fonte Latinus, & Græcus Eusebii Interpres Acta depravata; nil, quod suspicer, Syrum impulit, ut purissimos Historiæ latices næniis interspersis conspurcaret. Quid Græcis vel Barbaris, si uxor Theodosii Augia, vel Annesia? Si Romana, vel Judæa? Si unipara, vel tribus filiis effœta, ut quartum expectaret à miraculo? Si inscia, vel salutata Matre Philippus abscesserit? Si superata procella per hebdomadam in Creta manserit, vel triduo Romam appulerit? Si ad lævam Templi, vel ad dexteram Urbis à Ministro repertus fuerit, in Ecclesia, vel in Hospitio, ut id propter denigraret candorem Historiæ, effuso, sepiarum more, atramento?

9 *Multa in Eusebii scriptione sunt*, ait Pirrus, *quæ ad primam Ecclesiæ*



(1) *Sæc. 2. diss. 3.* (2) *apud Natal. Alex. Sæc. 2. diss. 16. in resp. ad cap. 4. Dallæi de usu PP.*

*gratem Philippum revocent.* Ego sanè, nonnisi, quæ toto Cœlo abducant, reperio. Primò quidem Monachus Eusebius inscribitur; Romæ Templa maxima, ordines Sacerdotum, & Monachorum Congregationes, Ascetarumque prudentia, continentia, vigiliæ; Laici Ecclesiam frequentantes &c. Ubi nam gentium Monachi nomen, vel status ante 46. à Christo nato annum? non enim pridie à discessu tonsum, & cucullatum Eusebium suspicari fas est. Monachorum, & Therapeutarum monumenta apud Dionysium [1] habemus: imò & ante ipsum in Philone. Sed illum post annum Christi 58. scripsisse oportuit, cum meminerit Timothei Episcopi, quem nonnisi post annum 57. consecratum a Paulo Baronius [2], & Eusebius (3) tradunt; hic verò de Ægyptiis Monachis locutus est, quos fatetur Cassianus [4] primam vivendi formam accepisse à S. Marco, de quo compertum, post annum Christi 49. vel 51. Alexandriam venisse, quando Petrus Româ redux Hierosolymam petiit ex Metaphraste, & ex Eutychio, & Chronic. Oriental. apud Tillemontium (5), qui reiicit Eusebium, & Hieronymum obtrudentes annum 42. vel 43., nisi velimus ex illo Hieronymi in Philone: *Talem primò Christi credentium fuisse Ecclesiam, quales nunc Monachi esse nituntur, & cupiunt,* exemplar confundere cum exemplato; & in ordinem redactis Apostolis, primisque credentibus, Monachis morem gerere.

10 Item sub Nerone magnificentia Templorum! Ecclesiasticorum ordinum politia! frequentia Laicorum in Ecclesiis! Ascetæ, & Asceteria! quod tamen vocabulum nescio, an aliquis ante Basilium quarto Sæculo usurpaverit. Specus meliùs dixerit, & catacumbas, in quibus Fideles Gentilium metu sacra peragerent latitantes. Apostolorum Vitas Abdiæ Babylonio subdititias Critici expungunt, eo quia, *Septuaginta quinque Ecclesias uno in Provincia erectas mentiatur; cum nec Apostolicis temporibus, nec multò post sævientibus Ethnicorum Imperatorum in Religionem Christianam persecutionibus ulla Templa fuerint à Christianis extructa, sed Sacri Conventus ab iis, privatis in ædibus, & subterraneis plerumque locis celebrarentur*: Hæc adamussim quarti, & quinti Sæculi confinio congruunt, post Constantini tempora; cum pace Ecclesiæ restituta, Christo publicè invocato, & Idolis contritis superædificatæ Phanis Ecclesiæ fuerint. In idem redit, quod narrat Eusebius, Pontificem signum ex vestibus, quo Philippum internosceret, dedisse Diacono: *Invenies Diaconum penula tectum cum alio Monacho*; non enim, ut supra citatus Alexand.(6) expendit; incedebant in habitu, & tonsura, quam in consecratione accipiebant, Sæculo Neroniano, sed in veste Civili Laica, sicut Missionarii Catholici apud Infideles. Amandandi ergo Philippus, & Eusebius ad res Ecclesiæ restitutas post quartum Sæculum.

11 Secundò, in Gallicano Breviario legitur (7): *In solemnitate Petri, & Pauli cum B. Philippus Roma missus in Siciliam ad Montem Agyrum venisset, & solemniter Missam celebrasset, quidam Vir Leontinus &c.*

& in

(1) *lib. de Eccl. Hier. c. 7. ap. Euseb. l. 2. c. 16.* (2) *ad ann.* 57. (3) *lib. 3. cap. 4* (4) *lib. 12. cap. 5.* [5] *tom. 2. Not. sup. S. Marcum* (6) *Sec. 1. diss. 22.* (7) *die 22. Maji in fest. S. Phil. init. 1. lect.*

& infra circa finem; *Quadam die ivit Philippus cum Eusebio Monacho ad Ecclesiam B. Petri, ut orationem faceret.* Eadem habemus ex Actis Eusebii. *Factaque oratione in cacumine Montis, orationem convertit ad eum, à quo missus fuerat, & ad Apostolum Petrum*; & alibi: *Rursus celebrato per Philippum Sanctum Presbyterum die festo Apostoli Petri advenit Leontinus.* Sanctorum nemini in vivis degenti excitata Templa, celebrata solemnia, fusas preces novimus; vix, nec apud omnes, uni Deiparæ Virgini, cujus viscera portaverunt Sanctum Sanctorum. Hoc certè ad Arcadii, non ad Neronis tempora Philippum adducit.

12 Scio plures huic argumento non nimis fidere. Potuit quippe id accidisse Philippo post Petri Martyrium superstiti; adhuc enim, si anno 53. ætatis obiisse Philippum dicamus, annum Christi 67., quo Petrus Martyrio coronatus, supergressus est, cui potuit & Templum excitari; quod si Augustinum Barbosa (1) non supra boni Viri fidem suæ genti addictum suspicemur, documentum exhibet, quo Petro adhuc viventi in Portugallia erectas credamus Ecclesias; refert enim Jacobum Valdesium (2) dicentem; *Item & Petrus primus Bracharensis Episcopus Martyr in Lusitania, discipulis Jacobi.... celebraturque, quòd in honorem B. Petri Apostoli vivi condidit Templum, ut in M. S. Historia Compostellana Hieronymi Romani c.4. asseritur*. Sed extra chorum nostrum hujusmodi cantilena est; nec illis temporibus adhuc Christo Templa, nec viventi Virgini Matri extructa recognoscit Natalis Alexāder (3) de Cæsaraugustano Sanctæ Mariæ *del Pilàr* differens: *Porrò Ecclesiam Deiparæ adhuc viventi à S. Jacobo erectã quis credat? quis humillimã Virginem id jussisse sibi persuadeat? quis id licuisse sub Ethnicis Imperatoribus, & mediis in persecutionibus sibi fingat; iis temporibus, quibus Christiani Templa nulla habebant, sed privatis in domibus, & in Cryptis cœtus agebant suos? & in exordiis Religionis Christianæ?*

13 Tertiò, urgent verba illa Eusebii; *Spiritualis quædam erat fœmina; quæ curam gerebat Cœnobii venerandi Templi SS. Sergii & Bacchi, ab immundo spiritu graviter agitata, venitq; ad Virum Sanctum, quo tempore sacris intentus erat, statimque, ut apprehendit oram penulæ ejus & ore momordit, sana facta est.* Martyres autem illos Sæculo tertio sub Maximiano passos Ecclesiastica Historia docemur; consentit ergo Arcadii, non verò Neronis temporibus eorum nomini dicatum Templum: & fœmina ibi ministrans, penula Philippi celebrantis arrepta, sanitati restituta.

14 Nullum mihi negotium facit, qui mulierem hanc ad Philippi sepulcrum post tertium Sæculum accurrisse, & sanatam comminiscitur. Novum sanè hoc commento miraculum præter Eusebiana intruderetur; quis enim Philippi reliquias ad altare sacrificia offerentis describat, ut rotundè exprimit Eusebius, & penula tectas, cujus fimbrias fœmina momorderit? Crassam nimis caliginem hanc illustrissimo, apertoque sole clariora verba non sustinent: quid si ferrent? ineptissimus sanè Historicus, cui non rerum, sed temporum ordo servandus est, præeuntibus, & consequentibus viventis Philippi miraculis de-

(1) *de Off. & potest. Episc. p. 1. tit. 3. cap. 8. num. 34.* (2) *de dignit. Reg. Regnorumq; Hispan. c. 6. n. 22.* (3) *Sæc. 1. diss. 15.*

demortuum interposuisset, eversa insulsè, & restituta Historiæ serie; cum potuerit Philippi funus nullis, quæ enarret miraculis decoratum, gloria sua non fraudare, prodigio in ordinem redacto.

15 Quartò, festum diem Exaltationis Sanctæ Crucis Eusebius memorat. Illis ergo temporibus narratio addicenda, quando exaltata Crux, nempe post Constantinum, non verò depressa sub Nerone. Hic violatæ Chronologiæ dolorem, quem Pirrus dolet, non doleo, quasi sciolus aliquis in Eusebio legens *festo mensis Septembris*, audaci anachronismo interpolarit, *festo Exaltationis S. Crucis*; cum hujusmodi festum longè satis post Arcadium, tempore scilicet imperantis Heraclii Sæculo septimo referendum sit. Peritum ego potiùs affirmarem, licet temerè ultra crepidam prætergressum in Ecclesiasticis Diptychis, qui nulla temporum interversione, festum mensis Septembris Arcadiano Sæculo illud Exaltationis Sanctæ Crucis, quasi per Antonomasiam noverit. Celebritatem hujusmodi, Helena indicente, ob inventam Crucem apud Græcos & Latinos ex Nicephoro [1] habemus, & ejus meminit Andreas Cretensis apud Surium ad hunc diem; & in Vita Mariæ Ægyptiacæ, quæ anno 526. sub Justino floruit. Postquam autem Heraclius anno 628. Crucem à Persis asportatam recepit, festum Inventionis sub hoc nomine à Latinis ad diem 3. Maji amandatum est; festo Exaltationis in Heraclianæ restitutionis monumentum in mense Septembri perseverante. Ita Baronius: *Cæterum tametsi eadem solemnitas*, Exaltationis Sanctæ Crucis, *æquè Græcis ac Latinis celebris est; tamen dicto die Septembris celebrant illi Exaltationis nomine Inventionem ipsã. Latini verò Inventionem celebrant mense Majo, dicto autem die Septembris memoriam restitutionis ejus ex Perside Hierosolymam, quam quidem solemnitatem nominant Exaltationem.* Et in Breviario (2): *Itaque Exaltationis Sanctæ Crucis solemnitas, quæ hac die quotannis celebrabatur, illustrior haberi cæpit ob ejus rei memoriam, quòd ibidem fuerit reposita ab Heraclio, ubi Salvatori primùm fuerat constituta.*

16 Fidem Eusebii elevare contendit Pirrus, quòd in ejus Actis fabula interposita sit de spiritibus ab Hierusalem in Ætnam demigrantibus. Sed cum hæc solùm in Latinis versionibus legantur, secus verò in exemplaribus Græcis, & Syro, autographæ Historiæ non detrahunt, & manifestam indicant scioli interpungentis temeritatem; *quòd si ob unum errorem vel alterum*, verba sunt Baronii (3), *in Actis SS. inventum, cætera, quæ remanent, fide carere dixerimus, profectò omnium ferè SS. Vitas in maximum discrimen adducimus; cum penè in omnibus aliquid notari possit, quod corrigendum videatur:* idẽ observare est in fabulis, quas ex genuinis SS. Patrũ operibus passim Critici studiosè exsufflant. Intemerata igitur in reliquis omnibus Eusebii fides, quam Codicum quorumcumque ad apicem usque consonantia testatur. Eo quippe argumento Canonicorum voluminum authoritatem, contra Anabaptistas ca ubique depravata somniantes, Catholici tuentur, apud Xystum Senensem (4), quòd impossibile sit omnia & ubique asservata exempla.

[1] *lib.8.c.29.* [2] *ad diem 14. Septemb. in fest. in fin lect.6.* (3) *In Not. ad Martyrol. Rom. ad diem 9. Octob. de S. Dion.* (4) *Bibliot. Sanct. l.7. & 8. hæres.2*

plaria iisdem locis, verbis, orationibus, sententiis corrupta esse; cum verosimiliùs accidere potuisset, hìc in his locis, alibi in aliis interpolationem passa fuisse.

17 Commentariolum exinde Athanasii, quòd nequear, ut expendimus, salva Eusebii Historia consistere, obelo configendum existimo, non enim eò res est, ut placuit Animadversori quod *in Commentariolo nihil diffusum est, sibique repugnans*; quinimo confragosa omnia, nulloque Eruditorum suffragio digna. Id evincit stylus Athanasio impar, & vix quidquam de ejus eloquentia redolens, nedum in cæteris dogmaticis operibus, verùm neque in ipsa Antonii Magni Vita. In hac siquidem videre est cultam & nitidam phrasim in vitæ serie texenda, lepidas, ac dulces Conciones in mirabilibus enarrandis, frequentia attectuum excitamenta, sermonem denique universum, qui facundiæ notas in dicente præseferat. Commentariolum autem, proh quam elumbe in miraculis referendis! brevitas non laconismum sed ariditatem dicendi sapit; altum de Eusebio comite, & non ex testium grege, silentium; nulli, qui ad salivam sint, pii animi motus, inculta dictio; conciones raræ, & nonnisi næniis featentes; adeout Annesiæ Matris lamentationes in filiorum submersione Animadversor ipse risu exceperit, tanquam insulsum glossema a sciolo quopiam intrusum.

18 Insuper fidem superat, quòd ex antiquis nemo, nemo ex recentioribus Criticis, quibus perquisitæ antiquitatis gloria deneganda non est, Commentariolum produxerit, adhuc ut exploderet. *Eloquentissimum autem in hac re*, asserit Natalis Alexander (1), *veterum silentium, & suppositionis evidentissimum argumentum*, quo ipse ad exsufflanda subdititia Patrum opera perpetim utitur. Sanctæ Syncleticæ Virginis, & Antonii Magni vitam scripsisse Athanasium indigenam, & synchronum, ac Alexandrinæ ipsius Civitatis Episcopum, vix in auxilium invocata priscorum turba, Nazianzeno, Hieronymo, Rufino, Palladio, Nicephoro &c. ut genuinas tuemur, nec apud omnes feliciter. Quis leviter credat Commentariolum de Actis Philippi, quem Ægyptus vel Alexandria nec tulit, nec vidit, ultra tertium ante Sæculum ad Patres appositi, concinnasse? vel quod vero dissimilius, hominem Ecclesiæ & fidei tuendæ curis distentum Acta Eusebii, suspicione sola, & contra ipsius de se ipso testimonium, in Ægyptum fortè reducis, transcripsisse; & adeo luxata, ut parens ipse fœtum non agnosceret? Omitto, quia leve est, an Eusebius, qui tot annis Agyrium incoluit, narrare in Ægypto potuerit ejus loci finitimos ante Philippum sæpe à Dæmonibus in mare demersos, ut habetur in Commentariolo; cum ultra triginta passuum millia ab Agyrio ad mare intercedant; nec finitima sint.

19 Suppositionis crimen suadet, quòd nonnisi Fazellus post annum 1572. omni ratione destitutus Philippum ad Neroniana tempora revocaverit; dein anno 1633. Pirrus Commentariolum obtruserit in novitatis fulcimen, & unde ortum, non consignaverit; donec anno 1650. Author Animadversionum apud quendam Farina repetiri dexerit, ex Hispania & M. SS. Antonii Augustini Episcopi Tarraconensis

(1) *Sæc. 1. cap. 12. art. 7.*

fis asportatum. Quid si aliquis posterioribus annis Athanasianum exemplar apud se extare asseveret? Suspectus mihi quidem, fraterna pace sanctè servata, testis Fazellus Sæculi sextidecimi Scriptor, qui nil præter judicium profert; & ob id ipso antiquior Nicephorus (1) Natali Alexandro [2] suspectus fuit, reiicit enim oraculum Apollinis Pythii ad Augustum de imminente Christi adventu: *Me puer Hebræus* &c. *Cum Nicephorus recentior sit Historicus, & unde illa hauserit, non dicat, suspectus mihi videtur*. Suspectus insuper Bibliothecæ Antonii Augustini M. S. Codex, qui decimoseptimo Sæculo emersit; & antiquiora sanè Lemovicensis Tabularii monumenta de Epistolis S. Martialis primi Lemovicorum Episcopi reiicit [3] *quia primò emerserunt in lucem anno* 1521. *& primò repertæ sunt anno circiter* 1060. *& erutæ ex sacrario S. Petri Lemovicensis*. Numquid Bibliotheca Antonii Augustini magis obtinet apud Eruditos, quàm Bibliotheca Regia Parisiensis, vel Bibliotheca Bavarica? ex illa tamen erutum exemplar Lamenti Origenis, quod nauci habito adhuc Bellovacensis suffragio, inter apocrypha enumerat Natalis Alexander (4); in ista reperta Commentaria in Nahum S. Juliani Episcopi Toletani, quæ apud eundem (5) adhuc incerta remanent; *quia omnis copiosa Bibliotheca*, ait Baronius (6), *refert similitudinem sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congregantis, bonos & malos continens libros, utiles & inutiles simul amplexans; illos ut sequatur; rejiciat verò istos.*

20 Denique perpetua Commentarioli cum Eusebio Synchrono Scriptore discordia, ex cujus Actis fortè transcriptum Animadversor suspicatur; non enim causanda Transcriptorum incuria, aut Criolorum audacia; quæ uno, vel altero loco interpunxerit; cum nil fermè concors, utraque comparata, inveniatur.

21 Arcadiano igitur Sæculo non abdicandus Philippus, quem à Romano Pontifice in Insulam missum Officium diei pro Diœcesi Catanensi, quod nunc obtinet, fatetur; & P. Octavius Cajetanus supracitatus in Idea post quartum Sæculum ex Oriente venisse asserit. Addo Panhormitanæ Ecclesiæ Tabularium, ex quo eruta Acta S. Philippi Diaconi, quem parentes à Deo precibus Philippi Agyrionis impetrarunt, & ab Archiepiscopo Panhormitano Diaconus ordinatus dicitur. Hoc clarè Neroniano Sæculo repugnat, quando Archiepiscopi vocabulum adhuc ignotum; unde Alexander citatus (7) eadem ratione Missam Æthiopum S. Matthæo suppositam evincit, quòd in ea mentio fieret Patriarcharum, & Archiepiscoporum; *Nomen etiam Patriarchæ, & Archiepiscopi quatuor primis Ecclesiæ Sæculis inauditum*. Quid illustrius ad Diaconum, & Agyrensem Philippum Arcadiano Sæculo vindicandum?

22 Pirrummet (8) comperio ad Arcadii tempora Eusebium, & Philippum tandem aliquando revocasse; etenim inter sacras reliquias Abbatiæ S. Philippi enumerat. *Magnum salutiferæ Crucis fragmentum in ænea arcula reclusum*, quod è D. Phi-

(1) *Niceph. lib.* 1. *cap.* 17. (2) *Natal. Sæc.* 1. *cap.* 13. (3) *Idem Sæc.* 1. *cap.* 12. *art.* 11. [4] *Idem Sæc.* 3. *cap.* 4. (5) *Sæc.* 1. *diss.* 15. (6) *ad ann.* 604. (7) *Sæc.* 1. *cap.* 12. *art.* 3. (8) *Not.* 13. *Abb. & Priorat. Sicul.*

*Philippi collo pendebat*. Crucem Dominicam mox à Christo deposito inviam Judæorum, ac Gentilium dolo, nec nisi anno 326. Helena conquirente defossam nemo negaverit. Exinde dumtaxat particulæ excerptæ, & per Orbem distributæ, teste Sancto Paulino: *Crux in Materia insensata vim vivam tenent, ita ex illo tempore* (Inventionis) *innumeris penè quotidie hominum votis lignum suum commodat, ut detrimenta non sentiat*. Item ex Sancto Cyrillo(1) Hierosolymitano: *Arguet me lignum Crucis, quod per particulas ex hoc loco per universum Orbem sparsum est*; quæ verba in crimen adduxit Rivetus attenta Cyrilli, cum cathecheses scriberet, ætate; quasi brevi temporis intervallo asportari per Orbem non potuerint: & ex eo vindicant Critici Catholici, ut ad rem nostram eruditè juxta synceram chronologiam expendit Alexander (2) omnino legendus, quòd triginta prope anni effluxerint à Cruce inventa ad Cyrillum Cathecheseon magistrum Hierosolymis; quod temporis intervallum satis fuerat, ut Ligni vivifici religio propagaretur; & Ecclesiæ plurimæ ipsius particulas ab Hierosolymitano Patriarcha postularent, & obtinerent. Tot argumentis ductus indubium censeo, post quartum Sæculum Arcadij tempore vixisse Philippum.

23 Plura, quæ obtendunt recentiores commentarioli Patroni elidenda. Primò quidem Eusebij ipsius verba proferunt, quæ à D. Petro missum Philippum ostendunt. *Verè*, verba sunt Eusebij ad Philippum, *discipulum te ostendisse ejus, qui Presbyterum te consecravit, Petri*, & alibi *Tomum*, ità Pontifex ad Philippum; *quem dedi tibi manu gerens, quem ipse met mea manu scripsi, virtute Spiritus Sancti*. Quæ verba non nisi Petro excidere potuissent. Demum Pontifex narratur solo jussu miraculum latinæ locutionis Philippo penitus ignaro contulisse; quis meliùs quàm Petrus? Secundo. In una ex antiphonis Officij Sancti Philippi in Breviario Gallicano legitur, *in manus tuas Domine commendo servum tuum Philippum filium meum, ait subitò B. Petrus*. Tertio. M. SS. codices Siculi in Oppidis Caltabillottæ, & Sancti Philippi Fragalatis missum à D. Petro rotundè testantur. Quartò. Baronius in Martyrologio à Beato Petro missum scribit; & in Annalibus ad an. 44. inter cæteros missos in Siciliam à Petro Apostolo enumerat Philippum; quem nisi Agyrensem? Quinto. P. Oct. Cajet. ea, quæ in Idea scripserat pro Arcadiana ætate Philippi emendavit in Isagoge, & in Animadversionibus ad Vitas SS. Siculorum approbare videtur Athanasij commentariolum. Sexto. In Actis Philippi legitur, plures ex Agyrij incolis ad fidem Christi traxisse. Hæc certè primò exorientem Evangelij lucem sub Nerone indicant; non quintum Sæculum, cum longè latèque jam diffusa in Christum fides, & Sicilia universa tot Martyrum monumentis illustris. Denique Philippum scripsisse ad Senecam Neroni coætaneum colligitur ex Regij Tabularij Actis; aliquando enim pro excerpto talium Epistolarum codice expostulatum; sed hæc levioris sunt momenti, quàm in alteram à nostro Criterio partem lances inclinent.

24 Ad primum, nisi velimus puerilibus pædagogiæ tricis vitiliga-



(1) *Cathechef.* 13. (2) *sæc.* 4. *cap.* 6. *art.* 12.

gare, fatis latam habemus interpretationem, retenta, vel immutata scriptionis orthographia. Quid enim dissonũ, si Philippum Presbyterum Petri nũcupatum dicamus, à quo totus Ecclesiasticus Ordo corrivatur, ad eum sanè modum, quo Christus dicitur Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech? quid si cõsecratum concedamus ab eo, cujus discipulum se ostendit; sive is Christus sit conformiter ad illud Augustini; (1) *Petrus baptizet, Christus est qui baptizat. Paulus baptizet, Christus est, qui baptizat*; sive Romanus Põtifex quicumque? Quid si Philippum dicamus discipulum Petri, cujus appellatione, Alexandrinorum more, Romanus Pontifex intelligatur?

Explicationem hanc nõ extortam fatebitur Dupin(2) ubi textum illũ Epistolæ Episcoporum Provinciæ Viennensis ad Leonem Romanum Pontificem an. 450. *Arelatensis Civitas missum à B. Petro Apostolo Sanctum Trophimũ meruit habere Sacerdotem &c.* interpretatur de missione facta à Romano Põtifice Successore Petri apud Honor: a S.M. (3).

Tomum Apostolicum, quem Põtifex mittens Philippo tradidit, in illis verbis; *tomũ Apostolicum eape hodie*; fatis constat fuisse librum Evangeliorum quem manu gerens Philippus prodigia operabatur: *Sedente ipso* ita refert Eusebius miraculum de sanato à viperæ ictu, *& Evangelium in manibus habente*; &c. quæ in Animadversionibus addita leguntur: *quem mea manu scripsi, virtute Spiritus Sãcti*; undenam eruta, nescio; quippe non omne Apostolicum, Apostoli manu scriptum esse oportet; sed hæc verba pedicam Animadversori iniciunt, à qua nõ nisi apocryphorum tabulis se extricet. Marcus enim referente Petro, non verò Petrus Evangelium scripsit, ut Catholicorum sensus est, & an Petro vivente, incertum. Affirmat Clemens Alexãdrinus(4) apud Eusebium(5). *Librum illum authoritate sua* Petrus *comprobasse dicitur, ut deincept in Ecclesia legeretur*, negat Irenæus(6) apud eũdem(7) *Post horum* Petri, & Pauli *verò interitum*: *Marcus discipulus & interpres Petri, quæ à Petro prædicata fuerant, per scripta nobis tradidis*, & Chrysostomus(8) verosimiliùs igitur, si verba illa Eusebii sunt, tomum Apostolicum, seu Evangeliorum, non à Petro, sed ab alio Romano Pontifice, qui sua manu scribere potuit, traditum Philippo, ut in eo virtute Spiritus Sancti Miracula faceret. Miraculum latinæ locutionis Philippo statim collatæ cõgruit quidem Petro, sed nõ incõgruit alteri Romano Põtifici, sive is Innocentius fuerit, sive Zosimus, certè inter Sanctos connumeratus, cum & aliis ignoti sermonis peritiam conferre datum legamus. Exẽplum sit in S. Ephræm Syro, & congentili Philippi, cui Græcam locutionem repẽtè S. Basilius impetravit. Menologium Græcum. (9) *Ut magis etiam mortalibus prodesse posset, cum Cæsaream venisset* Ephræm *à Basilio Magno Beatus Presbyter repẽtè linguam græcam, cujus erat, ut homo media Syria natus, prorsus rudis, & expers, callere cæpit.* et

(1) *tract. 6. in Ja.* (2) *Bibl. t. 3. p. 3.* (3) *In Reflex Crit. diss. 6. art. 6. reg. 4.* (4) *Clemens Alex. l. 6. Instit.* (5) *Euseb. lib. 2. cap. 15.* (6) *Iren lib. 5. adu. hæres. cap. 1* (7) *Euseb l. 5. c. 8. apud Natal. Alex. sæc. 1. c. 12. art. 2.* (8) *Hom. 1. in Matt. ap. Honor. a. S. M. diss. 7. art. 5.* (9) *to. 1. in vit. PP. Orient. in S. Basil.*

& Amphilochius: *Posuit manum S. Ephrem Magnus Sacerdos, & dixit orationem Diaconii, & dixit illi: jube sublevo nos; Repleta ergo lingua ejus dicit S. Ephrem græca linguâ: salva, miserere &c.*

Ad Secundum, quòd ejusdem Breviarii Gallicani duobus apertissimis contextibus adverserur, in quibus mentio de die festo Apostolorum Petri, & Pauli, & de Ecclesia S. Petri nomini dicata, ut expendimus, per visionem commendarionem illam accidisse explicandum est; eodem modo, quo dum navis tempestate jactaretur, Petrus sub Papæ figura apparens nauclero Romam festinare jussit. Eruditi quippe viri est, antilogias, si de veritate aliunde constet, congruis glossationibus emollire, & ad bonum sensum detorquere; ut enim ait Facundus Hermianensis: (1) *Solitum est prudentiæ, ac pietatis Catholicæ, ex indubitatis, atque evidentibus & firmare ambigua, & latentia declarare.*

Ad Tertium dico, nullam mereri fidem M. SS. Caltabillottæ, & Fragalatis, cum præter Philippum etiam, & Calogerum à D.Petro in Siciliam missum, tempore Neronis, inaniter effutiant; hunc quippe Sæculo quinto, post tempora Theodorici Regis in Siciliam venisse constat ex Gregorio Magno,(2) qui impii Regis mortem & pœnam eodem, quo accidit die, Sancto Viro in Lipara Insula revelatum refert; Hinc P. Octavius Caietanus (3) *exploratum quidem mihi quod Acta, vulgusque, & recentium Scriptorum nonnulli memorant Archileonem, & Onuphrium Evangelij causa à B. Petro missos una cum Philippo, & Calogero .... sed Acta illa judicio nostro falsa; vulgus, ut mos, errat; eoque subnixi Scriptores unà ruunt. Nam Philippus post annum 400 ex Oriente in Siciliam pervenit, multosque ante annos Calogerus, turbato Oriente Maximiani, & Diocletiani persecutione; quod ex Eusebio, & Sergio Monachis, altero rerum Philippi: altero Calogeri Græcis Scriptoribus, quos penes nos habemus, planè cognovimus.* Animadversor ipse in Vita Calogeri, M.SS.Fragalatis flocci pendit,& inde nihil allucere fatetur pro Philippo ad tempora Neronis revocando, cum nec Onuphrius, nec Archileon, ut testatur, Siciliam unquam viderint,nec Calogerus ante quintum Sæculum. Quod autem in Animadversi: ad Vitam Philippi Agyrensis ita expeditè M. SS. Fragalatis citet ad Philippum primo Sæculo reponendum, indicium indubium facit, quòd Animaversionibus P. Octavij Cajetani, si quę genuinę sunt, plures alias scioli editores præjudicijs præoccupati intruserint penu sua depromptas, non satis advertentes, quod expressè Authoris menti in eodem opere pugnarent.

Ad quartum, quid dicendum sit de Baronio in Martyrologio, alibi expendimus; Idem de Annalibus sentiendum; cum enim scripsisset *Habuit à Petro institutos Episcopos Siciliæ. Pancratium, Marcianum, Beryllum, & Philippum*; & Agyrionem nimia hallucinatione inter Episcopos censeri planum fit; ipsemet errorem hunc, post compertam Eusebii Synchroni historiam, quæ offusam à Fazello caliginem dissipavit, expunxit in nota marginali, ubi sic *de his omnibus diximus in notis*



(1) *L. 9. cap. 5. ap. Natal. Alex. Sæc. 2. diss.* 16. [2] *l. 4. dialog, c.* 30. (3) *In Idea.*

*tis ad Martyrologium Romanum.* Quid autem in Notis illis dixerit, supra adduximus. De P. Oct. Cajet. mente non est cur ambigamus; unum ejus opus, quod vivens edidit, nempè Ideam futuri operis, incorruptum censeo; & in eo apertè Philippum temporibus Arcadij addicit. In posthumis autem, idest Sacræ historiæ Isagoge, & fastis SS. Siculorum, nihil syncerum; sed plura partium studijs genuinum defuncti Autoris fœtum luxantibus, interpolata; & quæ Ideam non corrigant, sed spongia superinducta penitus deleant. Id clare temporum ratione perpensa evinco; Ideam edidit Author sub extremo anhelitu anni 1617. unde nuncupatoria Epistola die Kal: Decemb: consignata conspicitur: Isagogen composuit, aut ad apicem perduxit prius compositam anno 1618. siquidem Cap. 40. quod inter postrema quinque cõnumeratur 559. ab inde annis testatur Siciliam Romanæ Ecclesiæ obnoxiam feudalitatis Jure, cui se subjecerat anno 1059. Tot autem, & ea in Isagoge, pro ut edita est, abnutoria deprehenduntur iis, quæ certum in Idea scripsisse, ut se totum contra se armatum dicas; & non mensium, sed annorum negotium facessere oportuisset Viro Erudito; ea momenta expendenti, quibus recenti Criterio, præcedens elaboratum judicium revocaret; unde hęc ab eo supposita, qui posthumum fœtũ obstetricavit satis colligitur. Idem asserendum de Actis SS. in quibus intrusum Commentariolum D. Athanasij, & Animadversiones plures, quibus Eusebij narratio, cui tot anni pepercerant, pessum iret; Pirrus ipse Cajetano Synchronus; & amicus, pro novo Commentariolo adducit, & mox reducit, insufflans simul, & exsufflans, dum nescium se fatetur, an opinionem prius conceptam Vir Eruditus mutaverit; undè interpolati P. Oct. Cajetani lapsus non obscurè detegitur.

Ad Quintum, Ecclesiasticæ historiæ imperitiam obiicienti objcio; quid enim mirum quod 4. Sæculo exacto adhuc Gentiliũ, aut Idololatrarum reliquiæ eam Siciliæ partem occuparent, quæ Philippo obrigit, & eos ad fidem traxerit? coævus ferè Philippo Calogerus post Theodoricum, qui ad proavos iter fecit anno 526. integram Siciliæ Vrbem baptismate tinxisse legitur in lectionibus officij *Saccam ejusdem Insulæ Vrbem advenies ægrotos sanavit, aliaque quamplura edidit miracula, & incolæ baptizati sunt*; non igitur sub id temporis omnia Christo plana; sed passim obviæ Gentilitatis, ac Idololatriæ salebræ.

Ad Ultimum de Epistolis Philippi ad Senecam, adhuc si scriptoris vitium irrepserit in Actis Tabularii, quæ citantur, ut nomen Philippi, pro nomine Pauli subrogatum sit, irrideret Baronius, qui Pauli ad Senecam Epistolas suppostitias propugnat, à Patribus Augustino, Hieronymo &c. recedens, nec minus ex recentioribus Criticis Natalis Alexander, qui licet Patrum authoritati deferens, agnoscat Epistolas geminas, non eas tamen, quæ circumferuntur, sed quæ prorsus nobis ignotæ; quid fide Epistolis Philippi ad Senecam sermonem fieri audirent nullo Patrum suffragio innixis, nullo Patrono causam suscipiente; imò nec apud Siculos rumore unquam ullo, vel Sibilo? Pauli Epistolas ad Senecam suspicatur

Na-

Natalis (1) fuisse *meros Urbanitatis Apostolicæ fœtus; & literas privatas ad clarissimum, & doctissimum virum datas.* Quid negotij hariolemur Senecæ cum Philippo, ex morum integritate, nunquam autem ex eloquentia laudato, imò in Latina lingua ita rudi, ut ei fuerit Miraculo concredita? de Actis ergo Regij Tabularij fides sit apud eum, qui legisse testatur (quamvis non parum diminuatur, ex eo quòd quintidecimi Sæculi monumentum sit, & decimoseptimo a Pirro productum, ut in simili diximus num: 19.) fortè Philippi nomen pro Paulo irrepsit; quod satis ad modestiam. Lætetur igitur quintum Sæculum Philippo suo, cui primum pacem ulteriùs non invideat.

# SÆCULI QUINTI FINIS.



[1] *Sæc.* 1. *c.* 12. *art.* 2.

# ADDITIO
## AD DISSERTATIONEM UNICAM
### *SÆCULI V.*

NOster Auctor, cui mors laboris filum abscidit, quæ Bollandiani Patres, éjusq; Continuatores in Actis Sanctorum scripsere, non viderat; hinc quę Godefridus Henschenius, & Daniel Papebrochius de Philippi Agyrensis vita,& ætate tradidere,libeat animadvertere. Enimverò à Bollãdianis Patribus tom. 3. die 12. Mensis Maji, à fol. 26. ad 36. collectis iis, quæ ad Philippi vitam græcè ab Eusebio Monacho scriptam, attinent, & quæ tradita à Card. Baronio, ac expunctis omnibus, quæ Pater Petrus Salernus Societatis Jesu, anno 1658. editor posthumi operis Clarissimi Octavii Cajetani de Vitis Sanctorum Siculorum jam anno 1620. denati,interposuit, masculè PP. eruditissimi probant: Philippum Agyrensem,anno 407.Christi, sub Arcadio Imperatore floruisse, & fol.28. genuinam Eusebii vitam à Clar. Jacobo Sirmondo latinitati donatam, quæ in Vaticano Codice asservatur,decernunt, ejecta fol. 33. pro cõmentitia alia vita, quam ex quodam somniato Commentariolo Divi Athanasii, proprio genio indulgens P. Salernus suis animadversionibus inseruerat; & tandem iidem PP. Bollandiani in calce ejusdem voluminis in perenne veritatis documẽtum, fol. 684. à n.1.ad 6. Philippi vitam ab Eusebio,ut græcè stabat, scriptam, attexuere, quam nuper italicè etiam Panhormi vidimus recusam: & PP.ipsi,Codices Vatic., Cryptæ Ferratæ, & Cœnobii Messanensis SS. Salvatoris contulere, firmantes quæ priùs Card. Baronius de Philippi ætate, & vita sub Arcadio scripserat.



# INDEX
## RERUM MEMORABILIUM.
Prior numerus paginam, alter marginalem numerum designat.



Aa Decii

FINIS.

